

R. 19.459

G. XXV, Feb. 3^o, n. 1 (N. 2^o)

UNIVERSAE THEOLOGIAE,
ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE
THESES

CRITICES, ET PHILOSOPHIAE PROPOSITIONIBUS
ILLUSTRATAE,

QUAS


PUBLICAE CONCERTATIONI EXPONIT

D. FRANCISCUS XAVERIUS ELLIN, VERGE,
ET BALDIVIESO,

Philosophiae Magister, Sacrae Theologiae Doct. & Oriolensis Academiae
Collegio-Seminarii Immaculatae Deiparae, & Divi Michaelis Ange-
lorum Ducis Togatus Alumnus.

PATRONO

D. D. ANTONIO LOZANO, ET CANO,
SEMINARII EJUSDEM ALUMNO, PHILOSOPHIAE MAGISTRO,
Sacrae Theologiae Doctore, & Professore, atque Illustrissimi ejusdem
Civitatis Episcopi, Collegiique Praesulis Honora-
rio Ephebo.



PALAE STRA ORIOLENSE TEMPL. SS. VV. JUSTAE, ET RUFINAE.
DIE MENSIS ANNI M.DCC.LXXVIII.


Cum licentiis necessariis

MURCIAE : Apud PHILIPPUM TERUEL : Via Lintearia.

Hortor , ut valeo , ut litterarum verè certèque sanctarum studio te curam non pigeat impendere. Sincera enim , & solida res est , nec fucatis eloquiis ambit ad animum , nec ullo linguae tectorio , inane aliquid , ac pendulum crepitat. Augustinus , Epist. CXXXII. ad Volusianum , olim I.

Debet unusquisque , non pro eo , quod semel ebiberat , & tenebat pertinaciter congregi : sed si quid melius , & utilius extiterit , libenter amplecti : NON ENIM VINCIMUR , QUANDO OFFERUNTUR NOBIS MELIORA , SED INSTRUIMUR. Cyprianus in Epist. ad Quintum , quae est LXXI.





D. fernando Martin, Presb.


del. et sculps. in Murcia.

EXC.^{MO} DOMINO
D. JOSEPHO MONNINO,
COMITI DE FLORIDA-BLANCA,
EQUITI INSIGNIS REGIIQUE
HISPANICI ORDINIS CAROLI III.

*In Supremo Hispaniae Senatu quondam Aëtori Re-
gio, & ad Curiam Romanam Oratori, nunc ab
intimis Regis Catholici Secretis, atque in prae-
cellentissimo eo Senatu Consiliario perpe-
tuo, &c. &c. &c.*

FRANCISCUS XAVERIUS ELLIN VERGE
ET BALDIVIESO,
ORIOLENSIS COLLEGIO-SEMINARII ALUMNUS.

P. O. F.



*Ignitas ista Tua, Excellentissime Do-
mine, in quam Te, non assentandi stu-
dium, non prensationes, non aliae cu-
riae malae artes, sed spectata in Re-
gem fides, integritas morum, singula-
ris in negotiis difficillimis extricandis dexteritas, ma-
tura-*

turataque haesitatio, fortuna, nescio *Tua an Regni*, comite evexerunt; id demum facit, ut cum omnium in *Te* oculos converteris, tum admirationem, obsequium, amorem etiam excitaveris. Nec quidquam mihi optatius esse, jucundius nihil accidere poterat, quam ut *Theses* has specimen & ingenii quantulicumque mei, & operae in *Theologiam* collocatae *Tuo* praeclarissimo nomini dicarem. Id solum verebar, cum mentem subiit haec cogitatio, ne *Tuum* animum continuo intentum rebus gravissimis interpellarem. At nec id vereri debui, qui sciam parem esse meritis humanitatem *Tuam*, & alacritatem in litteris fovendis, quarum cum ipse cultor egregius semper extiteris, non mirum si & ingenio *Tuo*, ad invidiam maximo, earum etiam evaseris callentissimus. Unde fit ut doctos foveas, allicias, & in eos quaecumque officia ultro benignus effundas. Quod etsi non tota *Hispania*, *Roma*, *Europa* tota vulgatum esset, persuasum tamen haberem, vel ex eo tempore cum honorem, quem *Tibi* haec mea *Oriolensis Academia* decrevit ut *Doctoris* chirographo donareris, qui *Baccalaurei* pridem in eadem fueras insignitus, dedignatus non es *Vir* in tanto jam honoris, & dignitatis fastigio constitutus: imò *Te* magni fecisse relatum est, nobis inde *Tuam* virtutem, & egregias animi dotes praedicantibus. Utere genio *Tuo*, *Excellentissime Domine*, meque hominem nullius meriti obstrepere *Tibi* hisce nugis non graveris: quod beneficium altissimi mei praecordiis infixum, ad bene de *Te* alias merendum calcar erit, & incitamentum. Vale & renascentem, *Te* potissimum auctore, *Hispaniae* fortunam, ut facis, juvare pergito. E *Seminario Oriolensi* pridie *Kal. Maji*, an. *M.DCC.LXXVIII*.

QQ.

Q Q. P P.
EX PHILOSOPHIA.

I. **P**ronunciata omnia, quae Emus. S. R. E. Cardinalis, Melchior de Polignac affert in priori sui operis posthumi *de Deo, & Natura* tomo quatuor libris comprehenso, quaeque in uniuscujusque libri capite per versuum distinctionem exarata agenda rei argumentum praeseferunt, defendam hiis exceptis, quae à V. 541. ad 933. Libri 4. *de Gravitatis origine, corporumque levitate.*

EX RE CRITICA.

II. **F.** Joh. Franc. Bernardi Mariae de Rubeis Ord. Praedicatorum Dissertationem de Summa Theologica genuino, certisimoque S. Thomae Aquinatis opere adversus Johannem Launojum, & Petrum de Alba, & Astorga, deque supplemento tertiae partis; ac etiam tempore quo idem opus elucubravit Aquinas ejusque versione Graeca, Armenica, Aliisque propugnabo.

EX ANTIQUA ECCLESIAE DISCIPLINA.


III. **A**pologeticam Dissertationem de Disciplina Arcani contra Disputationem Ernesti Tentzelii per D. Emmanuelem à Schelstrate S. T. D. Bibliothecae Vaticanae praefectum, & Ecclesiae Antuerpiensis Canonicum vindicabo.


EX SCHOLAE THEOLOGIAE.

IV. **I**N Thomisticae Scholae recomendationem propugnabo Fr. Jacobi Hyacinthi Serry
A Ord.

Ord. Praedicatorum Doctoris Sorbonici, & in Academia Patavina primarii Sacrae Theologiae Professoris opusculum de Gratia primi Hominis, & Angelorum unico tomulo comprehensum.

V. **D** Iris devovenda est pestis illa opinandi terribissima, quaque nulla capitalior, quae in Sacrosanctam etiam Principum Majestatem evomit, virus acerbissimae suae, dum ea afflati homines perditissimi Regiam dignitatem pessumdedere, asserentes, fas esse, Reges improbissimos, vel Tyrannos cum insidiis, tum internecone etiam impetere. Horum immanitatem execror feritatemque naturae; hinc enim patriae prodiciones, Rerum publicarum eversionses, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci, necessum est, nullumque scelus, nullum facinus esse, ad quod suscipiendum aditus hac via non pateat amplissimus. Nemini ergo licet quocumque pacto pollicitam Principi fidem sacrilego ausu violare, ejus insidiari vitae, in eum arma movere, vel ipsum (nefas!) licet scelestissimum atque in subditos tyrannicè desaevientem, nece attraectare. Haec avita est Hispaniae Ecclesiae doctrina. Haec docent fides, Concilia, Patres. Atque oppositum in Doctorum lumine D. Thoma velle inveniri nodum profecto est quaerere in scirpo, atque in meridiana luce caligare.





ISAGOGICA

AD SACRAM THEOLOGIAM.

I.



Uod felix , faustumque sit , Teologiam Disciplinarum omnium nobilissimam propugnandam aggredior , quam dum adpello , non solum contentiosam illam intelligo , quae scholastica passim audit , sed & jucundio rem aliam , ac longè sublimiorem , quae Religionis Dogmata tutatur , ac firmat. Vocis hujus *Theologiae* primus om-

Theologiae
nomen , &
scopus.

nium meminit Dionysius Areopagita , quo significari de Divinitate sermonem , inquit praeclarum Ecclesiae lumen Augustinus. Est ergo Theologia facultas , quae Dei naturam , vim , ac proprietates sedulò investigat. Deum illa rimatur , nedum ut inexhaustum bonitatis fontem , sed ut exterius prodit Opificem , Curatorem , Patrem , verbo , Dominum rerum conditarum. Apparet hinc bipartita Theologiae tractatio apud Theologos frequentissima , altera de Deo secundum se , de eodem , ut rerum est principium , ac finis , altera. Nec Theologus summa & infima , divina & humana miscet ; sed adeò articulatè , clarè , artificiosè , haec componit illis , his illa jungit , ut non modò nullam sibi vicisim obscuritatem adferant , verum etiam utraque utriusque adhibeant claritatem & lumen.

II. Quae de gentium Diis veteres idolatrae commenti sunt , quaeque de summo Deo tradidit Plato , tantùm Theologiae nomine censenda erunt indigna , quantum longe à veritate recedunt. Mihi igitur ad frugem Theologiam proficiscenti vitio vertat nemo , quod triplicem Paganorum Theologiam fabulosam nimirum , naturalem , & civilem unico ab Apostolo prostatam ictu , missam facio.

III. Theologiam nostram definire fas est : *Rerum divinarum , vel ex naturaliter cognitis , vel ex revelatis principiis comparatam doctrinam*. Si ex naturaliter notis deducitur , ad Ontologiam spectat , seu Metaphysicam. Si autem ex his , quae per revelationem innotescunt , proficiscatur , erit illa Theologia , quae particularem constituit sapien-

Theologiae
notio , &
partitio.

tiam,

4
tiam , & quae nonnullis divinitus animo illabatur ; ut plurimum tamen studio , ac labore comparanda est. Habes hinc , ut arbitror discrimen inter infusam , acquisitamque Theologiam.

IV. Apud plerosque hujus disciplinae tractatores distincta illa conspicitur in Positivam , Scholasticam , Mysticam , Polemicam , Dogmaticam , Adiaphoram , Speculativam , Practicam , &c. de quibus nolis me anxie sollicitum.

Dialecticae necessitas.

V. Adversum Scholasticam Theologiam , illam scilicet , quae ad syllogisticae artis regulas sese acuratus accomodat , haeretici omnes rabido ore desaeviunt. Neque divinare forsitan erit difficile , ecur id genus hominum , & saeculi hujus Pseudophilosophi nostratium Cathedras parvipendant. Quidquid verò in causa sit , confidentissimè teneo. Theologo usum Dialecticae summoperè utilem , ac necessarium esse , neque naturalem superfluere Philosophiam , haud parum conferre.

VI. Caveat tamen , qui ad extremum nolit scopulum illidere , nè naturali Philosophiae adeo indulgeat , ut divinis posthabitis revelationibus , hanc renuat in obsequium fidei captivare.

Theologia Scholastica.

VII. Scholastica methodus , ad quam viri gravissimi Theologiam revocarunt , non quidem est necessaria , bene tamen perutilis , & accomoda.

VIII. At Theologia Scholastica , quidquid reclament nebulones , utilis , necessaria est & ad profligandas haereses quam aptissima.

IX. Viguit perpetuo in Ecclesia aliqualis hujus disciplinae usus , proindeque vetustissima illa putanda est.

X. Theologia inter genuinas scientias computatur ; & licet ab aliis diversa , est tamen illis longe certior.

XI. Tametsi non uno nomine adpelletur , retinet habitus unitatem , illiusque practici simul & speculativi.

XII. Illius principia postulant superno lumine cognosci ; ea tamen ad naturales scientias redigenda est.

XIII. Deum uti objectum formale , quod sibi exigit ; conclusiones vero ex fide reductas uti objectam materiam. Revelationem divinam respicit uti rationem objecti sui praecipuam , ac primariam.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Habet Theologia peculiare quosdam locos tanquam sedes , fontes , & domicilia argumentorum Theologicorum. Horum elenchum denario ego quidem numero complector. Nimirum Scripturam Sacram , Traditiones Christi & Apostolorum , Ecclesiam Catholicam , Concilia , Romanam Ecclesiam , Sanctos Veteres , Scholae Theologos , quibus adhaerent Juris Pontificii periti , Rationem naturae , Philosophiam , Humanam denique Historiam. Sunt hi loci in quibus
ar-

argumenta omnia Theologica delitescunt : eo tamen discrimine in⁵
lucem eruenda , ut quae ex septem prioribus eliciantur , propria ferè
sint ea hujus facultatis : quae verò ex tribus posterioribus , ascriptitia
sunt , ac velut ex alieno emendicata. Age , singulos attingamus.

SCRIPTURA SACRA.

I. **P**rimus quidem locus sine controversia firmus divina eadem-
que gravissima auctoritate. Libros siquidem Sacros & Ca-
nonicos appellamus , quos Spiritu Sancto dictante sacri auctores
exceperunt.

II. Scripturae Sacrae duae sunt partes , vetus , & novum Testa-
mentum ; habent siquidem in se omnes verae , & divinae revela-
tionis characteres.

III. Scriptum est autem utrumque Testamentum eo Dei assis-
tentis affatu , ut non modo verbum , sed ne apex quidem ullus sit,
quem Spiritus Sanctus non suppeditarit.

IV. Sequitur inde Deum principem scripturarum esse auctorem,
homines vero ejus instrumenta.

V. Pervenerunt ad nos usque sacri codices integri poenitus &
incorrupti ; nec veremur subinde adversariorum tela toties à viris doc-
tis , & piis retusa , ut minus operis in eis reffalendis ponendum sit.
Cave verò intelligas , me de illis levioribus mendis , & minutiis lo-
qui , quae nec fidem , nec mores laedunt.

*Scripturae
integritas.*

VI. Qui sint libri canonici post Conc. Trident. decretum catho-
licis notius est , quam ut ulla disquisitione indigeat.

VII. Nec tamen omnes Bibliorum libri , qui in hodierno Eccle-
siae Canone continentur , quovis tempore obtinuerunt. Nam è vete-
ri Testamento hos tantùm olim Ecclesiae Canon complexus est : Pen-
tateuchum Moysis , Librum Josue , Judicum , Ruth , Regum quatuor,
Paralipomenon duos , Esdrae & Nehemiae duos , Job , Psalterium
centum quinquaginta Psalmorum , Proverbia , Ecclesiasten , Canti-
cum Canticorum , Prophetas majores quatuor , & minoris duodecim.

*Antiquus
librorum
Canon.*

VIII. E novo autem Testamento hi tantùm ut canonici semper
sunt habiti : Evangelia Mathèi , Marci , Lucae , Joannis ; Acta Apos-
tolorum , Omnes Pauli Epistolae , ea tantum excepta , quae est ad
Hebræos ; Petri Epistola una , Joannis altera. Ergo de ceteris fuit
aliquando dubitatum.

IX. Ad Judaeorum canonem quod attinet , cujus auctor merito
Esdras censetur , duobus tantùm ille libris supra viginti continetur ;
quamquam plures apud eos essent , quàm nunc in eorum sint cata-
logo , & erant Josephi temporibus.

X. Haereticis autem nec antiquitus , nec modò unus est Scri-
pturarum canon.

B

XI.

XI. Inter Graecas veteris Testamenti versiones principem semper obtinuit , quae septuaginta interpretum dicitur.

*Bibliorum
versiones ,
earumque
auctoritas.*

XII. Eam in insula Pharo Alexandriae vicina editam fuisse à septuaginta duobus Judaeis in singulis celulis inclusis , probabilior est opinio , si Patres Ecclesiae , & nobiles Judaeorum audiantur Historici , nec tantùm , Pentateuchum , sed & libros , qui tunc in canone erant Judaeorum , vertere.

XIII. Haec quidem versio , ad fidem & mores confirmandos divinae fuit olim auctoritatis , atque authentica est his etiam temporibus.

XIV. Vulgata Latina editio , quam post tempora D. Hieronymi usurpavit Ecclesia , fidelibus est retinenda , in his omnibus , quae ad fidem & mores spectant.

XV. Atque hac tantùm in parte à Tridentino authenticam declaratam puto , nec tamen Hebraicis Graecisque fontibus est anteposita.

XVI. Si qua ergo morum & fidei quaestio inter catholicos exoritur eam definiri oportet per Latinam hanc veterem editionem : cujus videlicet si aliquod testimonium alteram quaestionis partem confirmaverit , ea sit catholicis amplectenda : sin contra reprobaverit , rejicienda.

XVII. Vides hinc in fidei & morum disputationibus non opus esse nunc temporis ad Hebraica , Graecave exemplaria provocare , nec inde controversiarum fidem esse petendam.

XVIII. Non igitur in his , quae fidei & morum sunt , Latina exemplaria per Hebraica , seu Graeca sunt corrigenda.

XIX. De textus Hebraici auctoritate acrior est , & paulo justior controversia , dum quidam illi fortasse plus tribuunt , quam ratio & veritas postulet ; alii è diverso plus satis eum deprimunt , atque in multis de industria corruptum volunt : mediam ego quidem amplector sententiam , plures scilicet esse illius utilitates , magnam etiam auctoritatem , non tamen eam illi tribuendam , quae eum ab omni vitio & ambiguitate eximat.

*Scriptura-
rum Jdex.*

XX. Qui verum & nativum Dei verbum à spurio & falso internoscere , ejusque divinitatem per scripturas ipsas declarare conatur , fungum pro cerebro habeat oportet , ac stoliditate sit plenus. Nec respublica est ulla hebes adeo & male constituta , in qua haec iudicandi forma ex solis scripturis servetur.

XXI. Quid si de scripturis cuilibet reipublicae humanae privato civi iudicare donetur ? Stultitiae huic in Novatorum tantum cerebello inveniès locum. In eorum quippe lupanaribus garrula anus , delirus senex , sophista verbosus scripturas praesumunt , lacerant , docent , antequam discant. Sunt qui à foeminis : ; Proh pudor ! discunt , quòd viros doceant.

XXII. Cum ergo de libro aliquo an sit canonicus , necne , movetur controversia , certum de illo argumentum ex Ecclesiae consen-

sensu , & auctoritate desumitur. Haec fidelis est custos utriusque Testamenti , & divini foederis , quod illi instar depositi traditum est.

XXIII. Pertinet hoc etiam ad Concilium generale , atque ad Romanum Pontificem ; nec aliàs Ecclesiae fidei , & perpetuitati satis esset consultum.

XXIV. Complures Sacra Scriptura patitur sensus , & quidem mysticos invenies tres. Nullo indiscriminatim utendum , sed prout loci temporisque ratio ferat. Litteralis certum , firmumque praestat argumentum , nonnunquam metaphoricus & mysticus , nunquam verò acomodatitius.

Scriptura
Sensus.

XXV. Legere scripturam sacram patrio editam sermone , res est planè indifferens , nec ab Ecclesia absolutè interdicta.

XXVI. Ecclesia tamen gravissimis ducta rationibus lectionem illam valet interdicere ; idque sapientissimè praestitit , ac ejus latam legem amplecti tenemur. Nec est cur stultissimis atque ridiculis , imprudentissima Ecclesiae jussa , Novatorum querelis aures aptemus.

T R A D I T I O N E S.

I. **B**Enè habet Scripturarum auctoritatem primo jam loco vindicavimus. Sequitur ut non scripti verbi , *Traditionum* nempe , necessitatem , ac firmitudinem constituamus. Ac primò quidem : haeretici poene cuncti huic loco pestem afferre tentarunt ; sed Lutherani , homines certè ad Ecclesiae pernitiem errorumque patrocinium nati , hoc quasi proprium sibi usurparunt , quantaque maxima potuere vi , astruere nisi sunt , nihil praeter Scripturas Sacras Apostolicam habere auctoritatem. Hoc aliisque erroribus quamplurimis egregiè , scitèque consarcinatis omnem poenitus veritati aditum intercludunt ; quo fit , ut sicut Saraceni Machumeto auctore , ita illi miserandi , nec suas , nec magistri possint ineptias deprehendere. Nec enim adversum eos pugnam inire volo , qui clausis , ut inquit , oculis Andabatarum more pugnant. Sed quò illud adpareat nullum Theologiae locum certiore esse , nullum stabiliorem , nullum denique sacris litteris exponendis necessarium magis , quàm eum quo Ecclesiae traditio continetur : aliquot fundamenta jaciam , quae Theologiae fideique simul nervos ac vires continent.

II. Primum : Ecclesia est Scriptura antiquior : fides ergo atque religio sine scriptura constat.

III. Secundum : Non omnia quae ad doctrinam pertinent christianam , etiamnum in sacris litteris sunt expressa.

IV. Tertium : Multa pertinent ad Christianorum doctrinam , & fidem , quae nec apertè , nec obscurè quidem in sacris litteris continentur.

V. Quartum : Apostoli maximis de causis alia quidem litteris ,
alia

alia autem viva voce prodiderunt. Atque post haec in asserenda Traditionum necessitate, otiosum erit verba plura prodigere.

VI. Unum restat adperire, ubi totius operis cardo versatur, quoniam pacto Theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab Apostolis esse traditum. Non enim sumus ii, qui Pharisaeorum instar traditiones nostras velimus, quasi divinas, & apostolicas venditare. Ergo vias quatuor apertissimas, quas, si sequeris, traditionibus Apostolicis vestigandis minime aberraveris::: Primam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Aug. lib. 4. cont. Donatist. cap. 24.

VII. Secundam: Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissimè tenuerunt, hujusque contrarium, ut haereticum refutarunt, quod tamen è sacris litteris non habetur, id per Apostolicam traditionem habet Ecclesia.

VIII. Tertiam: Si quicquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessariò est derivatum.

IX. Quartam eamque tutissimam: Cum viri Ecclesiastici aliquod dogma, vel unamquamlibet consuetudinem uno ore testantur, nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum est argumentum, ut ita esse credamus.

X. His itaque praejectis haec omnium certissima ducitur positio Ex Christi & Apostolorum Traditionibus firmissima eruuntur argumenta, & ad Ecclesiae consuetudinem, & ad fidei dogmata comprobanda.

XI. Divinarum traditionum tanta est auctoritas, ut eas Ecclesia mutare non valeat. Potest tamen Apostolicas, & Ecclesiasticas, ex quibus periisse paucas invenies.

ECCLÉSIA CATHOLICA.

I. **C**onstituit humani generis salvator Ecclesiam suam in terris, quam duobus praesidiis circummunivit muro, & aeternali. Est ergo in saeculi usque consumationem duratura, cunctae fremant licèt inferni portae.

II. Ecclesia fidelium omnium collectione constituitur: nec hi tantum Ecclesiae nomine censentur, sed Ecclesiarum etiam Praefecti, in quibus clavum tenente Pontifice summo, jus ac reipublicae hujus auctoritas potissimùm residet.

III. Errarunt olim splendidissimi Cathari, & qui ad horum vesaniam accedebant, Donatistae, dum nullam eos in Ecclesia partem habere, volebant, qui non solidam, puram, ac integram agerent vitam. Accedunt his hodierni Anabaptistae nullam in Ecclesia infirmitatem ferentes.

*Contra
Catharos,
Widessum,
& alios.*

IV.

IV. Fuere alii , qui solis Praedestinati ad gloriam locum in Ecclesia concesserunt. Errarunt & illi turpissime ; nec enim omnes, nec tantum Praedestinati membra sunt Ecclesiae.

V. Habet quoque Ecclesia carnales suos , habet & aegrotos , & infirmos. Non ergo probi tantummodo ad Ecclesiam pertinent , quemadmodum arbitrati sunt qui inter Lutheranos habentur nobilissimi.

VI. Ad haec : sicut infideles nondum baptizatos in Ecclesiae Christi voce intelligere , non cum veritate solum , sed cum sensu etiam communi pugnat : ita haereticos partes Ecclesiae non esse , constituendum est.

VII. Christi Ecclesia non usque adeo obscurari potest & deformari , ut nulla ejus species effulgeat. Est quippe nobis lucerna super candelabrum posita , quam videant omnes , qui in domo sunt.

VIII. Habet illa characteres suos , quibus à falsa & heterodoxa discernatur. Hos sapienter , ac providè numerat Concilium Constantinopolitanum : quod sit *Una , Sancta , Catholica , & Apostolica*. De uno quolibet audies disserentem.

IX. Notis hisce cum omnes praeter catholicorum careant Ecclesiae , spuriae illae , ac vanae sint oportet.

X. Non est quod fidei jacturam in Ecclesia vereamur , falli siquidem , ac fallere nescia est , cui Dominus perpetuò adest.

XI. Neque id tantum ad eam Ecclesiam , quae Apostolos complexa est , referendum putes ; sed ad eam etiam quae nunc est, quaeve ad saeculi usque consummationem permanebit.

XII. Hunc sempiternum veritatis spiritum , non modo omnium fidelium collectio habet ; sed eundem habent etiam Ecclesiae Principes , ac Pastores.

XIII. Ergo ex Ecclesiae Catholicae judicio firmissimum ducitur argumentum ad comprobandas fidei morumque veritates.

XIV. Ac si quaestio aliqua circa fidem exoriatur , non proprii ingenii ductum sequi fas est , aut Principes saeculares adire , uti somniavit Brentius , sed sensum tenere Ecclesiae , & documenta Pastorum.

XV. Certissimum quoque fallique nescium agnoscimus Ecclesiae judicium circa facta , ut ajunt , dogmatica. ; Vae Jansenistarum Capitibus.

XVI. Tandem vel dum homines quosdam Sanctorum Catalogo adscribit Ecclesia , errare omnino nescia est.

SACROSANCTA CONCILIA.

I. **U** Sum Conciliorum ex Apostolis habemus ; nam ab ipsis septem celebratos plerique numerant , ex quibus aliquot saltem Actorum lectio prodit. Concilii autem nomine nihil aliud
C in-

intelligitur , quam conventus Ecclesiae Praesulum instituti ad fidei morumque dirimendas controversias , atque ad eas condendas leges, quas regulandis fidelium moribus judicent oportunas.

II. Caligant ergo certè in media luce Lutherani , qui Synodum non solum conventum Episcoporum , & Sacerdotum , sed laicorum, muliercularum immitem clamosamque turbam intelligunt. Nos à Majoribus nostris didicimus , solos Episcopos , & Presbyteros in Synodum vocandos esse.

III. At Judices in Conciliis necessarii , & jure divino ordinarii , non alii sunt quam Episcopi.

IV. Errat quoque turpiter Bucerus , cum ait , in Synodum Ecclesiae non debere cogi nisi Dei filios ; quo adserto , susdeque omnia ferenda esse , certissimum habeo.

Jus congregandi Concilia , eis-que praesidendi.

V. Jus congregandi Concilia in uno residet Romano Pontifice. Plura tamen à Christianis Imperatoribus fuere convocata ; sed causam prodam.

VI. Quandoque tamen alteri quàm Pontifici summo fas est Concilia congregare generalia , estque poenes eum jus , & facultas.

VII. Dioecesanae Synodi ab Ordinario loci acciri debent , provinciales à Metropolitanis , nationales verò à Primatibus.

VIII. Quamquam Imperatores plerique oecumenicis quondam Conciliis , quoad locum , ad pacem , ordinemque servandum , praefuerint , nulli tamen quoad directionem & suffragium.

IX. Est quippe Romani Pontificis peculiare jus Synodis praesse generalibus , id quod per se , sive per Legatos semper exercuit.

X. Concilium generale , quod auctoritate Romani Pontificis nec congregatum , nec confirmatum est , errare in fide potest. Idem putato , si ei vel sola confirmatio desit.

XI. At dum summo Pontifici probatum semel fuerit , certam fidem facit Catholicorum dogmatum.

XII. Igitur nec dioecesanae , nec provinciales , nec nationales Synodi , divinae sunt auctoritatis , ni summi Pastoris suffragium accedat ; probabile tamen ut plurimum ex illis sumitur argumentum ad fidei morumque dogmata suadenda.

XIII. Quod si Ecclesiae capitis confirmatio accesserit , errare illae neque in fide , nec in moribus possunt.

XIV. Tandem cum plures insignesque Ecclesiae errore , aut schismate laborant , Concilio opus est generali , quo veritas catholica definiatur , aut Schismatis tollatur occasio. Ac de Conciliis hactenus.

ECCLÉSIAE ROMANAE POTESTAS.

AD Ecclesiae Romanae auctoritatem vindicandam ventum est , quo nihil ferè operosius ac aleae plenius. Ejus vim & facultatem non

non modo haeretici , & impudenter illi quidem , sed catholici etiam nonnulli inficiati sunt. En ergo quas illis objecto positiones.

I. Petrus Apostolus , isque solus fuit à Christo institutus universalis Ecclesiae visibilis Pastor.

II. Petrus cum Ecclesiam docebat , aut oves in fide firmabat à veritate deficere non potuit. Quaecumque itaque solvisset , quaecumque ligasset , sive ad intellectum spectarent , sive ad affectum , ea ligata fuissent , solutaque in Coelis.

III. Defuncto Petro divino jure est , qui illi in eadem auctoritate , & potestate succedit.

IV. Romana sedes ea est , ubi Petri & soliditas , & auctoritas à Deo est collocata.

V. En ut Ecclesiae universae primatum Romano Episcopo divino jure conveniat.

VI. Romanum Pontificem in Petri locum , sedem , auctoritatemque succedere , Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnovit. Ejus igitur judicium dum ex cathedra loquitur in his quae fidem moresque spectant , certissimum est ; firmissima proinde ex illo argumenta ducuntur.

VII. Hinc summus Ecclesiae Pontifex omni Concilio praestat , eique & auctoritate , & jurisdictione , judicandi quoque ac definiendi potestate superior est.

VIII. Indidem sequitur non venisse Antichristum , nec Romanum Pontificem nisi falso , perperam , & iniquè talem dici posse. At scitum illud Luthero : qui verecundiae fines semel transierit eum benè , & naviter oportere esse impudentem.

SANCTORUM AUCTORITAS.

QUamquam nihil est apud haeresum propugnatores solemne magis ac usitatius , quam Patrum contemnere documenta , ac Sociniani praesertim fulgidissimis Ecclesiae luminibus praeferre audeant nonnullos è fidelium coetu dejectos , lucifugas , ac tenebriones : is tamen fuit semper Ecclesiae à Christo institutae mos , ut dum fidei causa ageretur , SS. PP. qui & doctrina & sanctitate claruere , sententiam exquireret , cujus firmitatem sequentes , quas appingo , theses comnostrabunt. Sed prius internoscamus oportet , quinam Doctores Ecclesiae , ac Patres sint appellandi.

I. Doctor itaque ille est censendus , quem ob eminentiam doctrinae & vitae sanctitatem , & talem Ecclesia agnovit , recepit , ac declaravit. Idem de Patre dicendum , si praedictis competentem adjunxeris antiquitatem.

II. Sanctorum auctoritas , sive paucorum , sive plurium , cum ad eas facultates affertur , quae naturali lumine continentur , certa

*Ecclesiae
Romanae
primatus.*

*Quinam Ec-
clesiae Doc-
tores , &
Patres.*

argumenta non suppeditat ; sed tantum pollet , quantum ratio naturae consentanea persuaserit.

III. Unius , aut duorum Sanctorum auctoritas , etiam in his , quae ad sacras litteras , & doctrinam fidei pertinent , probabile quidem argumentum subministrare potest , firmum vero non potest. Ita despiciere , & pro nihilo habere , impudentis erit : suscipere & habere pro certo , erit omninò imprudentis.

IV. Plurium Sanctorum suffragium reliquis licet paucioribus reclamantibus , firma argumenta Theologo sufficere , & praestare non valet.

V. Omnium etiam Sanctorum auctoritas in eo genere quaestionum , quae ad fidem minimè pertinent , fidem quidem probabilem facit , certam tamen non facit.

VI. In expositione autem sacrarum litterarum , communis omnium Sanctorum veterum intelligentia certissimum argumentum Theologo praestat ad Theologicas assertiones corroborandas.

VII. Tandem Sancti simul omnes in fidei dogmate adserendo errare non possunt.

VIII. Sancti illi Patres caeteris sunt antepoenendi , qui data opera rem , de qua est lis , tractarunt.

SCHOLAE THEOLOGI.

Scholasticam Theologiam delicatuli , & quidam juniores haeretici non elevant modo , & extenuant , verùm etiam explodunt , exhibitantque. Ac significanter praesertim impietatis Germanicae Lutherus , ejusque gregales , & mirificè eam contemnunt , & inimicè insectantur , scommatis verbisque durioribus miserè proscindentes. Dum autem Scholae Theologiam astruere conor , non ejus suscipio partes , quae tota clamoribus , barbarie , spinosis , aridisque Metaphysicarum rerum quaestionibus vix dignis lucubratione & ingenio anicularum , continentur. Nam fuisse quosdam ascriptitios Theologos , & quasi ad discordiam natos , qui vesci his pascique amarint , utinam cum tanto reipublicae damno non fuisset experti. Ergo Theologiam illam , quae de Deo , rebusque divinis apte , prudenter , doctè è litteris institutisque ratiocinatur , aserere ac vindicare cupio.

*Scholae
Theologiae
finis.*

I. Hujus autem proprium primumque munus est ea quae in sacris litteris & Apostolorum traditionibus abdita continentur , in lucem quasi è tenebris eruere.

II. Habet rursus haec disserendi in Schola facultas alium propositum scopum , fidei nempe nostrae adversus haereticos defendendae.

III. Spectat denique ad Scholasticorum functionem , Christi Ecclesiaeque doctrinam , quantum fieri potest , ex disciplinis humanis,

nis , aut illustrare , aut etiam confirmare.

IV. Scholasticorum plurium in aliquod dogma consensus , si alii, licèt numero pauci , contra pugnant , non pluris est ponderis ad faciendam fidem , quàm ratio ipsorum , vel gravior etiam auctoritas comprobarit.

V. Ex auctorum autem omnium Scholasticorum communi sententia , in re quidem gravi , usque adeo probabilia sumuntur argumenta , ut illis refragari temerarium sit.

VI. Atque concordem omnium Theologorum Scholae de fide aut moribus sententiam contradicere , si haeresis non est , at haeresi est proximum.

JURIS PONTIFICII VIS.

I. **C**UM Theologia ex Ecclesiae Canonibus , veluti ex fonte, suos rivulos ducat , inepte Theologus faciet , nisi opera summorum Pontificum velit uti. Unde illorum non satius demiror insaniam , qui usque adeò in ea facultate doctis sunt infensi , ut eorum auctoritatem ab usu prorsus Theologiae remotam esse arbitrentur ; cum tamen iis , qui Pontificum Canones ignorent , nimis multa desint ad usus Theologiae necessarios.

II. In his quae ad fidem pertinent , Jurisconsultorum auctoritate Theologus non eget. Quin potius eorum titulorum expositionem , qui de fide decernunt , Legis peritus à Theologo mutuari debet.

III. In his etiam , quae ad mores pertinent , quatenus vel lex evangelica , vel ratio Philosophiae de hujusmodi praescribit , Jurisconsultorum auctoritas parùm aut certè nihil Theologo conferre potest. Quin rectam , & sanam rerum cognitionem Jurisperiti à Theologis mutuam accepturi sunt.

IV. Cum autem de moribus Ecclesiae & Religionis institutis per leges tantum pontificias decernitur , aut de poenis jure praefinitis incidat quaestio , Jurisperitorum omnium communis consensus , concursusque sententia Theologo magnam fidem facere debent.

RATIO NATURALIS.

I. **I**N hujus loci tractatione duos errores contrarios fugere nostra attinet. Unum eorum , qui usque adeò argumentis à ratione ductis addixerunt se , ut sive disputent , sive scribant Scripturam Sacram Sanctorumque Patrum libros ne legisse quidem videntur. Hi sophistae potius , quàm Theologi , primum omnem vim Theologiae , & gravitatem amittunt , deinde praestant , ut Theologia detracta auctoritate non solum contemnatur , sed ne Theologia quidem sit.

D

II.

II. Alter autem error illorum est , qui solis sacrarum litterarum testimoniis , aut interdum etiam Scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis naturae haud aliter abhorrentes , quam si essent Theologiae adversa , & inimica. At Lutherus quidem ne ullus caeterorum haereticorum perderetur error , & hunc in suam fecit camerinam confluere. Aures itaque ad naturae rationes occludere , id nos in errore maximo ducimus.

III. Est duplex aliud peccati genus. Unum eorum , qui incognita pro cognitis , incerta pro certis habent. Ut illi , qui D. Thomae, Scoti , aliorumque opiniones vel indiscussas amplectuntur , proque his totis lacertis depugnant.

IV. Aliud eorum , qui magnum studium , multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt , easque minimè necessarias , nec intellectu capaces.

V. Communia principia rationis naturalis certum Theologo argumentum sufficiunt : conclusiones verò , quae alia via quam per demonstrationem ex illis inferuntur , argumentum tantum probabile.

PHILOSOPHORUM PONDUS.

I. **P**hilosophorum pauci , illi scilicet , qui naturae vim & effecta , morum & vitae normam , via & ratione investigarunt , magna ex parte sunt consecuti , Theologis per utiles. absdubio sunt. Multa siquidem à Philosophis prudenter fuisse & graviter disputata , multa etiam breviter & commodè dicta , multa denique ingeniosè & luculenter exposita , qui negaverint , ii non sunt verbis & ratione , sed vinculis & carcere fatigandi.

II. Philosophorum omnium una eademque consensio certam fidem facit Philosophici dogmatis.

III. Cum verò de unius aut alterius Philosophi secta disseritur, quo quisque doctior & gravior est , eò est illius quidem & probabilior auctoritas , & fide dignum testimonium. Sed nulli Theologus ita sese adjudicare debet , ut ab eo ne latum quidem unguem putet discedendum.

IV. Judicis humani facultas , quae Philosophia quaedam est , in multis Theologo commoda esse potest. Ac quamquam argumentum, quod à jure civili ducitur , nec certum fortasse nec exploratum sit, probabilissimum est tamen , cum omne , tum illud magis , quod à legibus christianae reipublicae usu probatis Theologus accipit. Verum non mihi jureconsultus est legulejus quispiam , cautus & acutus , cautor formularum , auceps syllabarum , injustitiae aequae ut justitiae patronus ; sed gravis prudensque Philosophus rectam sectans morum , & vitae disciplinam.

Juris Civilis potestas.

HIS-

HISTORIA HUMANA.

I. **C**UM quandoque in re quondam gesta Theologiae disputationis cardo versetur, nemo unus Historiam Theologon edum utilem, sed & necessariam esse inficiatur. Atqui viri omnes docti consentiunt, rudes omnino Theologos illos esse in quorum lucubrationibus historia muta est. Est illa quippe, ut ait Cicero, *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, lux vetustatis.*

II. Ergo qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non solum stulti sunt, & pecudum vitam agunt, sed gigantum more cum Diis bellant.

III. At praeter auctores sacros historicus nullus existit, qui idoneus habeatur ad faciendam certam in Theologia fidem.

IV. Historici tamen graves ac fide digni, quales nonnulli sine dubio, & in Ecclesiasticis & Saecularibus fuere, probabile argumentum Theologo suppeditant, cum ad ea quae sua sunt corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones reffellendas.

V. Quod si omnes probati ac graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum prometur, ut Theologiae dogmata firma etiam ratione constituentur.

VI. Postremo: Cum viae, ac regulae nonnullae adhibendae sint, quibus veraces historicos à falacibus distinguere atque internoscere valeamus: erit lex prima ex hominum probitate integritateque petenda. Non enim semper nec nunquam illis tuto creditur.

*Regulae ad
internoscen-
dos veraces
scriptores.*

Lex verò secunda in historiae iudicio sancitur; ut eos historicos reliquis anteferamus, qui ingenii severitati quamdam prudentiam adjunxerunt, & ad eligendum, & ad iudicandum.

Tertia regula sit: si cui historico auctoritatem Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adjungamus: contra verò, cui Ecclesia denegavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac meritò denegavimus. Atque hae regulae, si quae aliae, consentaneae convenientesque censentur.

Habet ergo Theologus unde suas promat argumentationes; at scire praeterea eum interest, qua censura, seu nota affici debeant propositiones illae, quae his sive fidei, sive morum regulis oppositas iudicaverit. De propositione igitur *haeretica, erronea, scandalosa, blasphema, suspecta, temeraria, piarum aurium offensiva, seditiosa, ac haeresi proxima*, dum me volueris loquentem, non gravabor.

*Propositio-
num censu-
ra.*

THEOLOGIAE DOGMATA.

I. **C**UM Theologicae facultatis meta Deus sit, corrueret sanè quidquid firmaret Theologus, nisi vindicatae existentiae Dei,
ba-

basis ad instar, inniteretur. Divini ergo Numinis existentiam adseramus.

*Contra
Atheos.*

Hanc Athei solum, monstra potius quam homines, impiè inficiati sunt, Creatori injuriosi, atque blasfemi. Hinc veritati huic adeò splendidae adversa adsertio non aliunde nasci putanda, quàm ab ingenio debili, deliro, brutescente, furoris impetu acto, atque res omnes, earumque notiones susdeque permiscente. Nec Atheistam quempiam fieri posse cum Baelio putamus, nisi ab animo lymphato per vim tractum. Et hi Spiritus fortes adpellantur!

Contra Polytheos.

II. Praecedenti errori è regione opposita est Polytheorum demencia puros, putosque homines, puras, putasque creaturas sibi in Deos, Deasque coacervantium, ac in varias classes distribuentium. Haec fuit Idololatrica illa superstitio, quae totum pene orbem post diluvium pervaserat, quaeque ab avaris aulicis defensa, à regibus protecta, carmine à poetis celebrata, atque à gentibus caeco furore percitis disseminata, puram, castamque Religionem è medio tollere conabatur. Sed Deus si unus non est, non est.

Contra Marcionem, ejusque gregales.

III. Abeat in malam crucem Primogenitus Diaboli Marcion duo nobis venditans principia summa, unum bonum, malum alterum. Eis adsentientes Manicheos facimus teruncii.

IV. Est Deus simplex omninò, nec fas est aliquid, quod compositionem sonet, in eo admittere, seu ex quo ipse componatur, seu in cujus compositionem ipse tanquam pars veniat.

Contra Dinandum.

V. Somniavit dubio procul David de Dinando, dum Deum primam mundi materiam non erubuit adpellare.

Contra Benedictum Spinosam.

VI. Pinguissimo huic errori, dixeris potius Platonico Enthusiasmo, affine valdè est Benedicti Spinosae deliramentum de unica mundi substantia, quod caput est systematis sui splendidissimi ineptiis consarcinati, ex quo, tanquam ex lutulenta hara, tot pudenda Atheorum monstra prodire.

Contra Antropomorphitas.

VII. Quisquis Deum ipsum praesumpserit corporeum, seu Antropomorphon, cum Audianis, seu Antropomorphitis crasissimo errore volutatur.

Contra Eunomianos.

VIII. Quamquam Dei majestas supra cuncta sublimis à nobis cogitari possit, à nullo verò effari. Est ergo ineffabilis, Eunomiane.

IX. Perfectissimus est Deus, omniumque rerum in se continet perfectiones, licet non omnes ex aequo. Si igitur creaturas omnes cum Deo jungas, non aliquid efficies perfectius, quam ille sit solus.

X. Est Deus infinitè bonus, est summum bonum: taleque per essentiam esse, ei soli convenit, sicut & infinitudo.

Contra Impugnatores divinae immensitatis.

XI. Immensitatem Deo tribuamus oportet, ejusque ubique secundum substantiam praesentiam.

XII. Immutabilem Deum dicimus, affectionumque nescium, idque ei uni convenire.

XIII.

XIII. Aeternus quoque est Deus , nec aeternitate ejus aliqua creatura potitur. Est immortalis , bonorum auctor , principium , causa , finis , rex , summus dominus , à se beatus. Sed quid ego stultus , singulas Dei perfectiones numerare pergo ? noscit singulas ille solus.

XIV. Infinitam Deus habet potentiam , eamque negantes Judeorum quidam experti sunt ; posse quoque plura facere , quae non facit , contra Abaelardum , & Wicleffum Catholici adserimus , atque iis , quae facit , potest meliora producere.

Contra Impugnatores Omnipotentiae.

XV. Summam quoque Deo veracitatem tribuamus oportet , quippe qui mentiri nescit , nec vero potest , ac seductionis est incapax. Disputet audaciae , temeritatisque haereticorum , qui plurima Scripturarum loca , in quibus divina veritas secum ipsa pugnare videtur , nobis heic uti pura , putaque illius mendacia obtrudunt. Ast illorum error jam dudum à Viris in Sacris Litteris exercitatissimis abundè refutatus est. Nos vero quibus nondum per tempus licuit esse tam beatis , etsi persuassum firmiter habeamus , à quibuslibet Sacrarum Litterarum locis omne omninò mendacium abesse procul , nihil est cur vereamur , fateri palam , haud collocasse in eo argumento studii tantum , atque operae , quantum gravissimae huic rei pro dignitate extricandae necessarium est. Iccirco qualemqualem à nobis in re hac locatam operam ostendere prestò sumus , in iis tantum conciliandis Sacrarum Litterarum antilogiis , quas Theologi Scholae Nobilissimi Melchior Canus in Libro II. de Locis Theol. Cap. II. & XVI. & Carolus Billuartius Tract. de Relig. Diss. IX. Art. II. expendunt , atque ad concordiam prosperè adducunt.

XVI. Innumera suppremi Numinis attributa unum quid sunt in re indistinctum omninò. Scholae verbis : non distinguntur à parte rei. Noscis inde , pro meritis vapulasse à melifluo Bernardo Gilbertum Porretanum.

Contra Gilbertum , & Joachim.

XVII. Quarto vertente Ecclesiae saeculo Aëtius & Eunomius in tantam coecitatem , & arrogantiam prolapsi sunt , ut assererent , se Deum perspicuè virtute naturali intueri , ut semetipsos aliosque homines aspiciebant. Huncque errorem recudere ausi sunt in inferiori Germania labente XIV. saeculo Beguardi , quorum omnium pernitiosum , superbissimumque errorem jure ac meritò Theologi cuncti execrantur.

Contra extremos circa Dei visionem errores.

XVIII. In alterum è diametro oppositum Eunomianis errorem septimo christiani nominis saeculo inciderunt Armeni , hisque adherentes XIV. saeculo Palamitae , qui intellectum creatum , vel superno suffultum lumine , posse clara Dei visione frui , prae fractè negarunt : iis qui adhaerent , à fide deviant.

XIX. Mens humana lumine gloriae donetur , necesse est , ut ad divinae naturae obtutum valeat pervenire.

E

Inae-

XX. Inaequalis gloria meritis inaequalibus reservatur , excuculate Joviniane.

XXI. Creata mens Deum intuendo , ipsum non comprehendit, nec comprehendere valet.

XXII. Est in Deo omnis plenitudo scientiae , cujus nomine venit permanens , perfectissimaque cognitio intellectiva nulla agitata haesitatione , cuique neque error subesse , neque fluctuatio valet.

XXIII. Semetipsum Deus perfectè cognoscit , imò comprehendit.

XXIV. Creaturam nullam offendes vel possibilem , sive futuram, seu praeteritam , neque extantem nunc , quae Dei subterfugiat scientiam.

XXV. Neque latent divinam scientiam futura quaelibet contingentia , & conditionata.

XXVII. Intimas quoque creaturae rationalis cujusque scrutatur cogitationes , & peccata quaecumque.

*Contra op-
pugnatores
divinae li-
bertatis.*

XXVIII. Ast tam aperta praescientiae divinae asseveratione consurgit contingentium necessitas ? Interit arbitrium ? Absit. Et videas hinc gentis nostrae decus ^{de} Priscilianum , Joannem Hus , hujus furfuris ceteros pessimè ratiocinari.

XXIX. Voluntatem in Deo agnoscunt quotquot caelestem Patrem quotidie orant : hanc fides praedicat , comprobat ratio.

XXX. Non tantum seipsum diligit Dominus , sed & creaturas suas amore prosequitur.

XXXI. Perfectissima est in Deo opposita necessitati libertas , eaque in creaturas fertur , quidquid infidelitatis tenebris obvolutus Aristoteles in animum induxerit.

*Contra Jan-
senium.*

XXXII. Jansenius , Quesnellus , Trickius , & pestes ejusmodi, cavillationibus suis aliud nihil praestiterunt quàm ut firmiter teneamus , Deum voluntate antecedenti omnes velle homines , nemine prorsus dempto , salvari.

*Contra Lu-
ther. Cal-
vin. & alios*

XXXIII. Vitam Christus fudit , vera , ac sincera voluntate mortem oppetiit , eamque Patri obtulit pro totius humani generis reparatione , ac aeterna salute. Permultos tamen mortis ejus beneficium non recipere , fides tenet catholica. Ergo redemptionem , ejusque fructum , Augustino , Prospero , Thoma , ac Tridentinis PP. erudientibus , adcuratè distinguentes , nulla novatorum cavillatione percellimur.

XXXIV. Numquid & pro mulieribus illibatus Jesu sanguis effusus est ? Ita quidem , stultissimè Plata.

XXXV. Pro cunctis quoque Christus Patrem deprecatus est. Contrarium Angelico Soli addicere , nodum profecto est in scirpo quaerere. Merito igitur temeraria Duacensium Censura Vaticano fulmine attrita.

*Contra Ori-
genem.*

XXXVI. Verum qui pro Doemonibus & damnatis Christum cruci

ci adfixum , aut Patrem orasse putat , tenebris is depascitur.

XXXVII. Vi voluntatis salvandi omnes , cunctis in communi prae-
parat Deus auxilia generalia ad salutem sufficientia.

XXXVIII. Dei voluntatem consequitur Justitia , quam ei dene-
gare grande piaculum foret , de ea dubitare dementia.

XXXIX. Summam in eo lucere Misericordiam , summa nostra
miseria laetabunda experitur.

XL. Perfectissima reperitur in Deo Providentia. Et hinc Stoico-
rum , Epicureorum , & Genethliacorum parvipende deliria.

*Contra Stoic-
cos, & Epi-
cureos.*

XLI. Nulla est in ordine universorum creatura , vel minima , &
abjectissima , cujus sedulam non habeat Deus , vigilantissimamque
curam.

XLII. Datur aliqua electorum ad gloriam praesdestinatio. Hujus
adsertionis gratia , mirum dictu quot , quantaque in Augustinum
dicteria , & scommota nebulones quidam evomuerint.

XLIII. Erronea est animarum praesistentia , quam finxit hydra
haereseon omnium Origenes , & commentitium meritum praedesti-
nationis comparatum ante illarum ad corpora unionem.

*Contra Ori-
genistas.*

XLIV. Dormitavit Pelagius dum praedestinationem pensavit pe-
nes praevisa merita , sola liberi arbitrii facultate comparanda.

*Contra Pe-
lagianos.*

XLV. Nec melioris frugis fuit Semipelagianorum sententia , qui
praescientiam fidei , aut bonae voluntatis exordium viribus naturae
causatum , tanquam praedestinationis motivum obtrudunt.

*Contra Se-
mipelagia-
nos.*

XLVI. Praedestinatio tam respectu Dei , quam hominum elec-
torum fixa prorsus est , certa omnino , & immutabilis.

XLVII. Si hac quantacumque certitudine libertatem laesam di-
cas , de grege mihi eris Pelagii.

XLVIII. Cave tamen cuiquam , semota revelatione , certum pu-
tes , in albo eum esse scriptum Praedestinatorum.

XLIX. Fidenter fatemur , velle Deum homines quosdam à glo-
ria perpetuo exules , seu extare quorundam destinationem ad mor-
tem , quam reprobationem adpellamus.

L. Aeternae damnationis supplicio addicit neminem Deus , ni-
si ejus praevisis sceleribus. Calvinianum dogma dic horrendum , de-
testabile , blasphemum.

*Contra Cal-
vinium.*

LI. Ad altissimum Trinitatis Mysterium , quod Catholicae fidei
fundamentum est , properat calamus , cui nisi fides prora puppis-
que sit , vix à tot errorum procellis securus erit. Principio : praeter
Judaeos , innumeros propemodum heterodoxos à divinitate personas
eliminasse , palam est. Nec mirandum de Judaeis , quibus Deus op-
portunum duxit , arcanum hocce aperte non revelare. Mirandum
potius de haereticis , quibus novum illuxit Testamentum , in quo
summa veritas , & per se immediatè , & per Canonicos Scriptores
perspicuè adeò exprimere dignatus est , ut errare non detur nisi in
ple-

*Contra Uni-
tarios.*

plena meridie coecutienti. Ergo si novitatis nos arguant Judaei , proprio eorum mucrone , veteri nempe Testamento , peribunt. Contra eos , qui è nobis exierunt , & sacris litteris , & PP. traditione , firmum stat hoc mysterium.

LII. Atque adversus Transilvanos quosdam humana homines tu- mentes philosophia stabimus imperterriti.

*Contra blas-
phemantes
in Chris-
tum.*

LIII. Caeterorum haereticorum , qui in Christum Dominum impiissimas eructaverunt blasphemias , tres videntur , ac sunt profecto iniquissimi , Cerinthus , Arius , Socinus ; quorum ille I. saec. purum hominem Christum praedicavit , adserens , ante Mariam non fuisse. Saec IV. vertente Filio Dei divinitatem ademit Arius. Socinus tandem Sabellianorum fermento corruptus , aetate quidem posterior , at impietate & perfidia prior existit. Est ergo catholicè pronuntiandum , Dei Filium in aliqua fuisse substantia , priusquam à Virgine conciperetur.

LIV. Est Deo Patri Filius ab eo genitus , idest , non adoptione , & gratia , sed generatione , ac natura.

LV. Tenendum & quod consequens fit , Filium hunc naturalem , & Genitori coaeternum eandem habere cum Genitore substantiam , esseve ipsi consubstantialem.

LVI. Pneumatomachorum , impugnantium scilicet Spiritus Sancti , nuperi quoque Socini gregales numerum augent. Spiritus , inquit nomine frequenter in Scripturis dona , & carismata designantur. Bene habet ; at hinc concludere , Sanctum Spiritum veram , subsistentemque haud esse Personam , quid est aliud , quam ludere , impiè desipere , allucinari ?

*Contra
Pneumato-
machos.*

LVII. Spiritus Sanctus Deus est , ipsi Patri , Filioque consubstantialis , seu individuae cum eisdem naturae.

*Contra
Graecos
Schis-
maticos.*

LVIII. A Patre , Filioque procedit Spiritus Sanctus. Sublatus jam de medio paries , qui Occidentalem , Orientalemque dividebat Ecclesiam.

LIX. Mitti Filium , mitti Spiritum Sanctum , non ex uno loco didicimus. Divinis ergo Personis mitti non dedecet ; quamquam enim Pater , neque à Filio mittatur , neque à Spiritu Sancto , Filius tamen missus dicitur ratione humanae naturae ad homines redimendos ; Spiritus verò Sanctus à Patre mittitur , & à Filio. Cave autem , ne eam in divinis missionem agnoscas , quae per imperium dicitur , quaeque arguit in misso inferioritatem.

LX. Sunt in Deo Processiones , quas Theologi ad intra vocant , quibusque una ab altera procedit Persona.

LXI. Nec plures quam duae dantur Processiones ; altera qua per intellectum gignitur Verbum , altera qua per voluntatem spiratur Amor.

Ergo

LXII. Ergo Processio Filii dicenda tibi generatio , secus Processio Spiritus Sancti.

LXIII. Personarum Divinarum nulla alteram perfectione excedit.

LXIV. Pater est in Filio , Filius in Patre , in Spiritu Sancto uterque , in utroque Spiritus Sanctus. Verbo : adserenda Divinarum Personarum circuminsessio.

LXV. Summae & incomprehensibilis veritatis aliqua illustratione percepta , haud operosum erit de rebus à Deo productis inquirere. Eminent inter has spiritus mortalis concretionis expertes , quos Angelos nominamus : quo audito nomine menti occurrit spiritualis quaedam substantia per se completè subsistens , vi intelligendi , ac volendi pollens , praestantior homine , at summo Numine inferior. Horum existentia , & sacris litteris , & omnium planè hominum sensu , firmatur.

Contra Sadducaeos, & alios.

LXVI. Angeli non ab aeterno , sed in tempore , è manu exierunt opificis Dei.

LXVII. Nedum & se , & Deum , & alios Angelos cognoscunt Angeli , sed & materialium singularium habent notitiam.

LXVIII. Quanta vis autem sit eorum intelligendi naturalis vis, futura tamen purè contingentia illorum superant captum.

LXIX. Et peccare , & mereri potuerunt Angeli , quod rei experimento comprobatum est.

LXX. Peccato poenae parantur : eas ergo luunt pravi Angeli expulsi à Regno Coelorum , privatione gratiae , & inferorum igni addictione , à quo perpetuò , & in aeternum torquentur.

Contra Origenem.

LXXI. Boni Angeli ad haec inferiora secundum conditoris nutum ministranda mittuntur quandoque.

LXXII. Maximo homines ab Angelis cumulatur benefacto , vigilantissima nostri nempè custodia. Eorum in hoc impensa officia narrabo.

LXXIII. Delussi sunt Gnostici negantes mundum à Deo conditum , omne enim aliud à Deo , qualiscumque sit naturae , ab eo tanquam ab efficienti causa procedit.

Contra Gnosticos.

LXXIV. Deus cuncta , non ex praejacente materia , sed è nihilo produxit : ergo creavit. Id quod peculiaris adeò Divinitatis virtus , ac character est , ut creaturarum nulla ad eam dignitatem, ac potentiam attolli queat.

LXXV. Non praeterierunt infinita durationis spatia rerum creatarum , sed omnia fuerunt à Deo in tempore condita.

LXXVI. Animus hominis incorporeus est , atque spiritualis naturae. Vah ! Materialistae saeculi nostri fatale exitium , atque Epicuri de grege porci.

Contra Diodorvillum, & alios furis ejusdem.

LXXVII. Anima rationalis non moritur simul cum corpore , sed perpeti vita fruitur.

F

Cer-

LXXVIII. Certissimum , atque catholicum est Dogma , cui nefas refragari , animum hominis non ex semine , aut traduce corporea propagari.

Contra Origenem.

LXXIX. Spirituales animae non sunt creatae ante corpora , atque in ipsa ob perpetrata crimina ex altissimo domicilio depresso.

Pythagoricae metempsicosis , & Platonicae revolutionis falsitas.

LXXX. Quicumque animarum de uno in aliud corpus , sive circulum , revolutionemvè Platoniam propugnant , vanitates , insaniasque falsas nobis venditant.

LXXXI. Fuerunt primi Parentes immortales , ita ut si in sanctitate mansissent , mortem vidissent numquam.

Contra Michaelem Bajum.

LXXXII. Immortalitas primi hominis gratiae erat beneficium , non naturae conditio.

Contra Praeadamitas.

LXXXIII. Fuit Adam universorum hominum primus , à quo gentes omnes per universum terrae orbem sunt propagatae.

Contra Encratitas.

LXXXIV. Temerè in Protoparentem nostrum damnationis sententiam quidam pronunciarunt ; is siquidem patrati criminis poenituit , & salutem aeternam est consecutus.

Contra errantes circa felicitatem.

LXXXV. Facessant quotquot rerum humanarum cupiditate perciti summam felicitatem nostram in divitiis , in honoribus , in gloria , & fama , in potestate , in voluptatibus , caeterisque corporis oblectamentis consistere volunt. Desperandum ergo Avaris , Ambitiosis , Politicis , ac Libertinis.

LXXXVI. Neque in virtute felicitas consistit , quamquam in ea Stoici reponerent ; in solo namque Deo , velut omnium bonorum fonte , beatitudinem nostram objectivam locamus.

Contra Chilistas.

LXXXVII. Figmentum est , & anilis fabula illud mille annorum à Cerintho excogitatum regnum , & à Papia , licet tolerabilius , inductum.

LXXXVIII. Nec ad minimum tempus exutis corpore animabus Dei visio , & gloria differtur , nulla modò ipsae conspersae sint macula.

LXXXIX. Animarum sanctarum beatitudo in perpetuas est aeternitates duratura.

XC. Nullo sunt in coelo conspurcati peccato Beati , nullo amplius conspurcabuntur.

Contra Lutherum , & Calvinum.

XCI. Pollent adhuc homines Adae posterii liberi arbitrii facultate , seu libertate indifferentiae , quam post veteres fati adsertores duo illa Novatorum capita , Martinus Lutherus , & Joannes Calvinus de medio tollere conati sunt.

Contra Janenium.

XCII. Ad merendum & demerendum in statu naturae lapsae , requiritur in homine libertas à necessitate , non sufficit libertas à coactione.

XCIII. Non ad libertatis spectat essentiam , posse pecare : id creaturarum inest libertati ob illarum imperfectionem.

XCIV. Liberi arbitrii indifferentia sub Deo motore non perditur, nec merè passiva est. Haec contra Lutheranos fulmine prostratos à Tridentino.

XCV. Paria peccata quaeque fecerunt Stoici, ut scribit Cicero in Paradoxis, Stoicisque adaeit Jovinianus: labuntur utrique, & à ratione aberrant quàm maximè.

Contra oppositos circa peccatum errores.

XCVI. Major autem Haereticorum recentiorum numerus exitiali ductus principio in alteram impiissimam opinionem descivit, omnia peccata, etiam justorum hominum, esse natura sua lethalia, adserens, quamvis divina misericordia credentibus, & praedestinatibus non imputentur: ergo & ii in meridie caecutiunt.

XCVII. Motus sensualitatis primoprimum, nimirum, qui omnem rationis animadversionem praeveniunt, ii item, quos inviti patimur, quamvis versentur circa objecta graviter illicita, peccata non sunt, nequidem venialia.

XCVIII. Jus positivum divinum ab his gentibus invincibiliter potest ignorari, quae numquam Evangelium audierunt.

XCIX. Quae quidem ignoratio, sicut & juris naturalis, si invincibilis sit, à peccato formali excusat operantem ex ea. Et hinc quoque dogma aliud Jansenistarum adversum nos jam fractis extremisque viribus velantium, excutitur.

Contra Jansenistas.

C. Nostra contra haereticos fides haec est, Deum optimum maximum minime impellere, suadere, inspirare homini peccatum, nec ejus efficientem causam esse: haec enim execranda est Calvinii blasphemia.

Contra Calvinum.

CI. Neminem ob prevaricationem Adae nasci infectum peccato, & damnationi obnoxium, primum commenti sunt Carpocratis gregales secundo Ecclesiae saeculo ineunte. Deinde in eundem errorem, in libris saltem Periarchon, lapsus est Origenes Adamantius, qui Pelagianismi ova fovit. Hunc sequutus est Pelagius versipellis adeò ut suffuratus sit in Synodo Diospolitana à quatordecim Episcopis absolutionem. Manifestius tamen hanc evomuerunt blasphemiam Caelestius, & Julianus, quibus patrocinatus est Theodorus Mopsuestenus. Armenii, Albenses, Beguini in eodem luto pedibus constiterunt. Atque Erasmi fides sub lite est. Mitto Socinianos, qui ad aliarum haeresum colluvionem etiam Pelagianam asciscunt. Hydram ergo hanc tali ausu sese erigentem veteris Testamenti testimoniis, novi itidem locupletissima auctoritate, ex scriptis quoque priorum Parentum, atque Ecclesiasticis definitionibus, necnon ex iis, quae modò patimur, hujus vitae miseriis concidere, atque obtruncare, nihil erit negotii.

Contra Peccati Originalis traducem negantes.

CII. Est ergo Catholica fides, etiam in Sanctorum filios Originale peccatum transire. Haereat ergo ad fauces Novatorum aspera lingua Pelagianis hac in parte gestientium: Nullus quippe, ni speciali donetur privilegio, ab hac contagione est immunis.

Igi-

CIII. Igitur pueri decedentes priusquam sint regenerati baptis-
mate , supernaturali beatitudine minimè potiuntur. En Pelagianae hae-
resis ramusculum alium Ecclesiae iudicio truncatum.

CIV. Peccatum quodlibet mortale personale , reatum duplicis in-
ducit poenae , damni , scilicet , & sensus.

CV. Ex fide quoque adserimus , omnium damnatorum poenas,
& hominum & Daemonum , aeternas fore , sicque pro peccato le-
thali in hac vita non remisso , aeterna in inferno luenda esse supplicia.

CVI. Certas ut obstringat Lex postulat condiciones , atque his
servatis eas ferre ad Communitates dumtaxat spectat , earumque
Rectores.

CVII. A numero eorum , qui legibus obstringuntur , coetum Jus-
torum excipere , spissus , ac turbulentus est Novatorum error.

CVIII. Competit Ecclesiae Pastoribus non solum munus suaden-
di , & declarandi , sed etiam auctoritas & potestas coactiva , qua
possunt suarum legum fractores vi , & imposita necessitate com-
pescere.

*Contra Hu-
sitas , &
Wicleffis -
tas.*

CIX. Non obligare legem ab impio , seu infideli Principe latam,
& carere hunc vero dominio , & potestate legum ferendarum , non
nisi Hussita , aut Wicleffista dixerit.

CX. Leges humanas , & Ecclesiasticas , & Civiles frangere,
culpa est ad conscientiae forum deferenda.

*Contra Pe-
lagianos.*

CXI. Opperibus naturalibus nec de condigno , nec de congruo
mereri possumus supernaturale Gratiae adiutorium quod Pelagiani
autumabant.

*Contra Se-
mipelagia-
nos.*

CXII. Atque ad initium fidei necessariam esse Christi gratiam,
Catholica est contra Semipelagianos adsertio.

CXIII. Errant quicumque docent sine gratia sanctificante aut cha-
ritate nullum fieri posse bonum opus morale , proindeque omnia
peccatorum opera esse peccata.

*Contra
Bajum.*

CXIV. Multa fiunt etiam ab infidelibus , & impiis , quae si ope-
rum honestatem inspicias & officia virtutum , habent decus laudis,
neque ratione operis appellari debent peccata. En positione hac cor-
ruit Jansenii , ac Baji placitum , *Omnia infidelium opera sunt pecca-
ta , & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

CXV. At nequit homo à peccato resurgere , nisi divina opitu-
lante gratia.

CXVI. Mirabilis dextera Omnipotentis saepè cuncta adversa re-
pellens , beneficium specialissimum impertitur , cum hominem lap-
sum illata mala non superant , finem certaminis consequitur palma,
& corona non speranda , aut non certantibus , aut in pugna pro-
stratis.

CXVII. Habitualis gratia hominem gratum faciens, Dei est donum,
animaeque intrinsecum.

Deus

CXVIII. Deus pro omnibus ac singulis remedia salutis instituit, paravitque, exhibuit. En ergo gratiam sufficientem, quam perpetuam Jansenius negavit.

Contra Jansenium.

CXIX. Quisquis autem non adjuvatur à Deo per gratiae submirationem, quaeri debet de prava sua voluntate, non de ipso Deo beneficentissimo gratiarum suarum largitore.

CXX. In justificatione impii profectò non tegitur peccati nequitia hoc tantùm sensu, quod imputatione justitiae Christi non censeatur ad poenam: ac veluti Jacob hoedina pelle contactus, peccator iniquus permaneat, & indutus veste Agni, divinam benedictionem, aeternamque haereditatem accipiat, sed reapse justus redditur, sanctus atque interiori pulcritudine, animaeque decore exornatus.

Contra Lutheranos, & Calvinistas.

CXXI. Justificantur ergo impii per gratiam, & charitatem, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhaeret.

CXXII. Disponi debent adulti peccatores ad justificationis gratiam. Et haereticorum logomachiam nihili duco. De dispositionibus, multus ero.

CXXIII. Fides quae justificationis est exordium non est fiducia illa, qua fidimus crimina nobis deleri per Christum, sed qua veritatibus omnibus à Deo revelatis constanter adsentimur ob Dei testimonium falli omninò nescium.

CXXIV. Nequeunt peccatores justificantem gratiam adipisci, vel sola Novatorum futili, cassaque fide, vel ea tantum, quae, & si vera sit, ab omni tamen humanae voluntatis motu sejuncta est.

CXXV. Quum operibus absque gratia patratis, etiamsi honesta censeantur, & bona sint ex *objecto*, atque officio, nullum inesse meritum, doceat Catholica fides, bona tamen hominis justificati opera verè vitam aeternam promereri, constantissimè tenet.

Meritum just.

CXXVI. Gratia santificans non est aequalis in omnibus omninò justis, & in singulis capax est augmenti, quod mereri quilibet justus de condigno valet.

CXXVII. Perseverantiae donum nemo unus potest condignè mereri, cum sit specialissimum donum divino beneplacito electis praeparatum.

CXXVIII. Joviniani & Pelagii dogma damnatum recoxit Calvinus dum adserit justos nullo peccato à gratia, & justitia excidere posse, cùm compertum sit, dari inter justos plures, qui non solum in gravissima crimina voluntariè prolabantur, verùm etiam pessima morte decedunt.

Contra Calvinum, aliosque.

CXXIX. Nullus mortalium absque speciali revelatione habet certitudinem fidei, certamque arrham de propria charitate & justitia.

CXXX. Virtutem illam, per quam praedictis, caeterisque Eccle-

siasticis dogmatibus praestatur assensus, Fidem nominamus. Circa illam errasse illos compertum est, qui ejus stabilimentum in humana ratiocinatione constituentes, nihil esse credendum adserebant, nisi quod rationi consentaneum est, obvium, ac manifestum. Hujus generis fuere olim Manichaei, his accessit Abaelardus, ac postea eadem vestigia calcarunt haereticorum omnium perniciosissimi Sociniani, quorum error nimium serpit, fuditque venenum lethiferum.

Fides.

Contra errantes circa fidem.

CXXXI. Vetus est haereticorum consuetudo ad solas scripturas provocare, easque pro libito in sensum, quem ipsi approbant, detorquere; at idoneum minimè est judicium, quod ex privato ducitur spiritu, & interiori cujusque fidelis persuasione.

CXXXII. Precepto fidei affirmante non tantum per accidens, & alterius ratione, sed & per se aliquando adstringimur.

Contra Elcesaitas, Priscillianistas &c.

CXXXIII. Numquam tamen, nec etiam mortis vitandae causa, licitum est fidem negare corde retentam. Et haec dicta sint propter Elcesaitas, Priscillianistas, nonnullos quoque Anglos Libertinos, & saeculi hujus politicos.

CXXXIV. Remanet fides in homine impio, dummodò infidelitatis crimine non se commaculet.

CXXXV. Infidelitas, quam negativam Theologi adpellant, peccatum non est, & si poena sit peccati.

Spes.

CXXXVI. *Ex fide nascitur spes bona fidelium*, inquit Augustinus. Extat ergo spes Theologica virtus à fide & charitate distincta, qua à Deo certa cum fiducia beatitudinem spectamus sempiternam, & ad eam consequendam necessaria auxilia.

Charitas.

CXXXVII. Charitas Theologicarum virtutum nobilissima inter creata Dei dona reponenda est. Lapsi sunt igitur, qui illam à Spiritu Sancto, per quem diffunditur in cordibus nostris, indistinctam putarunt.

CXXXVIII. Quantacumque justus in hac mortali vita charitate exuberet, major adhuc ipsi potest fieri doni hujus accessio.

Contra Calvinum.

CXXXIX. Charitatem viae perdi posse, erit qui neget? quidni? cum procax Calvinus in saeculo fuisset. At habuit quorum premeret vestigia.

CXL. Fateantur ergo oportet, perire illam funditus simul ac in se admiserit anima lethale quodcumque scelus.

CXLI. Licet, idque fide stat, Deo aliquo sensu servire, ac hominem benè operari propter retributionem.

CXLII. Primum maximumque dilectionis Dei mandatum homines ea ratione constringit, ut caetera adimplendo praecepta, illi nequaquam satisfiat.

CXLIII. Est autem Deus interiori charitate diligendus ex toto corde, in tota anima, totaque mente.

CXLIV. Eaque aequissima jussione non semel in vita ligamur, sed

sed pluries , & hoc quidem aliquando per se , nonnumquam ex
accidenti.

CXLV. Illuminatorum secta , quae Hispali eruperat , extincta,
praecissoque vetusti erroris surculo , quo aliqui adeò se in Dei amo-
re profecisse jactabant , ut nacti spiritus libertatem , quidquid age-
rent , nunquam à charitate deflecterent ; erupit idem error , pesti-
ferumque venenum effudit , navante operam Michaële de Molinos,
Quietistarum , scilicet , sectam , praetextu elevandi animas ad spiri-
tualis & mysticae vitae perfectionem , recudit turpissimus homo. Sed
quid ? an non aliquandiu animabus charitate flagrantibus datur quies?
fateor : sed ei , quam Molinosius invexit , è diametro opposita.

*Contra
Quietistas.*

CXLVI. Status *puri amoris* , & indifferentiae , in quo anima nul-
lam gerat propriae salutis curam , vel tanquam à Deo reprobata,
nullam habeat spem , nullumque perfrugium , atque à semetipsa di-
visa , unicae se divinae voluntati committat , *fanatismus* est , non
charitatis perfectio.

CXLVII. Illuxisse jam pridem humano generi diem optatissimum
adventus Messiae tot Profetarum oraculis praenunciati , invictè adeo
demonstrant Jacobeam vaticinium , Danielis Hebdomadae , Deute-
ronomium , Michaeas , Aggaeus , caetera quamplurima , ut propriam
pervicaciam , crasissimum somnium , & singularem dementiam pro-
bent aeterna caligine laborantes Judaei. Dumque vexationem quam
maximam experiuntur adversa fortuna jactati , somnia narrant de fe-
licitate regni , ad quod prohibentur accedere.

*Verbi di-
vini Incar-
natio.*

*Contra Ju-
daeos.*

CXLVIII. Verum autem Messiam Jesum Nazarenum fuisse , qui
ex Maria natus cruci fuit adfixus , evincunt miracula repetita , le-
gis typi , vita innocentissimè peracta , promissi Reparatoris charac-
teres , Prophetorum oraculorum eventa. Si Gentiles quoque de-
bellare desideras , arma producam.

CXLIX. Judaeorum pervicacia devicta , discussisque Ethnicorum
erroribus , bellum nobis inferunt haeretici eò tetrius , atque exitio-
sius , quò acrius intentatum ab iis , qui ex nobis exierunt. Instaura-
tum legimus ab Ecclesiae incunabulis à Gnosticis scientia tumidis
Valentini , Simonis , Basilidis , ac Saturnini discipulis. Hi Christo
tribuebant aereum & umbratile corpus , quibuscum caecutit Marcion,
& delirat iners scriptor Apelles. Vah stolidi capita !

*Contra
Phantasias.*

CL. Christus de Virgine absque virili semine conceptus est.

*Contra Ebio-
nem.*

CLI. Quae adversus perpetuam Deiparae virginitatem ratiocinia
audaciter proferebat Helvidius , cassa sunt , nulliusque prorsus
ponderis.

*Contra Hel-
vidium.*

CLII. Rationalem animam , partem humanae naturae nobiliorem,
ipsi Reparatori ausi sunt denegare perditissimi homines prodeuntes
ex Arianorum palaestris sub Apollinaris Laodicensis vexiliis. Fuerant
& qui rationalem animum adstruentes , propriis eundem facultati-
bus,

*Contra Apol-
linaristas.*

bus , & naturali praesertim voluntate expoliarint , dicti propterea Monothelitae , in quos haec tela vibrantur.

CLIII. Divinum Verbum animam humanam assumpsit.

CLIV. Assumpsit item Dei Filius humanam mentem , atque intellectum.

Contra Monothelitas.

CLV. Atque adserendae sunt duae voluntates in Christo Domino , & has naturales adpellemus oportet.

CLVI. Fatendum etiam id , quod consequens est , duas reperiri in Christo operationes , nec posse unam dumtaxat propugnari. Et haec de humana Christi natura.

CLVII. At Divinam , proh superi ! quot ex haereticorum pestilentissimis tentarunt extremis viribus debellare ! Verum ne hos iterum in scenam producam , humanae divinaeque naturae indissolubilem nexum , quem sacer Theologorum coetus adpellat *unionem hypostaticam* , evertere curarunt , irrito licet conatu , virginei partus , & Deiparae infensissimi hostes Nestoriani. Pessimè , imperitè , sacrilegè utramque naturam in unam commiscere tentavit pugnans adversus Nestorium summa audacia , & factiosa lingua Eutyches. Hos omnes excipere , ac propulsare debemus.

Contra Nestorium.

CLVIII. Una est tantum in Christo admittenda Persona , unusque est idem Dei , & hominis Filius.

CLIX. Virgo Maria recte adpellatur *Deipara* , cum revera Deum genuerit , atque in utero suo formatum ediderit.

Contra Eutychem.

CLX. Duae sunt in Christo post adunationem Naturae distinctae invicem , atque impermixtae , licet separatim minimè subsistentes , sed in eadem hypostasi , atque persona , unione phisica copulatae.

Contra Sozinianos.

CLXI. Cur autem sempiternus mortalitatem , & incircumscriptus formam nostram assumpsit , cur è cruce pependit , nisi ut profusso pretiosi sanguinis lytro nos à captivitate reduceret , ejiceret principem tenebrarum , diriperet inferni spolia , & destrueret regnantis mortis imperium ? Ingentem hanc Redemptoris beneficentiam , hanc soluti pretii dignitatem , atque oblationem sacrilegè pavipendunt haereticorum plures : quorum aliqui ad solos praedestinos , aliqui verò ad neminem prorsus veram redemptionem extendi impiissimè credunt.

CLXII. At revera Christus Jesus humanum genus redemit , quae redemptio pretio oblato peracta est , non una Domini Jesu praedicatione , & exemplo.

CLXIII. Christus eo fine , ut nos à peccato , Daemonisque captivitate redimeret , mortem pertulit ; in eaque perferenda peccatorum nostrorum poenas luit.

CLXIV. Adfixus item fuit cruci pro peccatis nostris hostia , & sacrificium Deo sponte immolatum , perque hanc hostiam , & sacrificium reconciliati sumus Deo.

In

CLXV. In hac reconciliatione à peccatis expiati fuimus , deleto per passionem Christi delictorum nostrorum chirographo.

CLXVI. Noluit Deus in redimendis hominibus peccata dimittere, non exhibita divinae justitiae satisfactione , id quod maximè decuit.

CLXVII. Minimè fuit injustum , non pereuntibus nobis , Christum sibi imputantem peccata hominum Crucis subiisse patibulum.

CLXVIII. Satisfactio Christi nedum aequivalens fuit , verum & superabundans. Addiderim , nihil in ea repertum , quod ad severas justitiae leges , non sit exactum.

CLXIX. Christus Dominus humanis iis affectionibus obnoxius fuit, quae , cum Verbi incarnati dignitate non pugnant.

CLXX. Ii motus appetitivae partis , qui adversus rationem insurgunt , & ad vetita pelliciunt , à Christo Domino procul abfuere. Igitur nullo prorsus crimine inquinatus est Christus.

CLXXI. Idem Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, quoniam in prisca hujus Sacerdotis oblatione panis & vini praefiguratum fuit sacratissimum Eucharistiae sacrificium.

Titulus Sacerdotis.

CLXXII. Sanctissimi Redemptoris Sacras Imagines , necnon purissimae ejus Matris , Sanctorumque aliorum piè , licitè , ac utiliter veneramur , & colimus ; qua positione Iconomachos , homines scilicet ad interturbendam Ecclesiae pacem natos , exsuflamus,

Contra Iconomachos.

CLXXIII. Christum ipsum Dominum *latriae* cultu adorandum, tam certum est , quàm quod certissimum.

CLXXIV. Antiquae Legis Sacramentis valere jussis , instituta sunt alia , inquit Aug. *virtute majora , utilitate meliora , actu facilliora , numero pauciora*. At de numero dicturis bellum intentant Novatorum phalanges , qui modò unicum admittunt , duo modò , nunc tria , aliquando quatuor , nonnunquam sex. Cui fidem ? Unicè Catholicis, septem , nec plura , nec pauciora fatentibus : illa scilicet, quorum cum lacte suximus nomina.

Novae Legis Sacramenta.

CLXXV. Septem Ecclesiae Sacramenta necessaria sunt ad salutem; verùm non singulis singula , sed nec eodem modo.

CLXXVI. Sacramenta non ita sunt inter se paria , non ita aequalis eorum dignitas , ut nulla ratione sit aliud alio dignius.

CLXXVII. Omnia Sacramenta à Christo fuisse instituta ex Tridentino constat ; abeant igitur in malam crucem haereticorum loquacissimi.

CLXXIX. Sacramenta rebus , *tamquam materia* , & verbis , *tamquam forma* , perficiuntur.

CLXXX. In Sacramentorum collatione nihil nos cogit , ut tamquam eorum essentiae partem , concionem praemittamus , qua fideles evangelica imbuantur doctrina , deque eorum institutione , ac effectibus instruantur.

Contra Lutheranos, & Calvinos.

CLXXXI. Ea verba , quae formam Sacramentorum efficiunt , non sunt

H

sunt

sunt promissionis , aut concionis , sed consecrationis tantummodo ; fraemant licet Lutherus , & Calvinus.

CLXXXII. Non est Sacramentorum omnium , tam veteris , quam novae legis eadem vis , efficientia , atque natura , ut Novatorum capita , Lutherus & Calvinus falsò judicant ; illa siquidem ab istis multum differunt.

Contra Socinianos , Anabaptistas , Lutheranos. &c.

CLXXXIII. Sacramenta novae legis ex merito passionis Christi justificandi vim habent , eandemque ex opere operato producant gratiam , qua innovamur , perficimur , aeternaeque haereditatis pignus datur nobis , & arrha.

Contra Wicleffistas, & alios Novatores.

CLXXXIV. In explodendo *character* Wicleffus primum , deinde Lutherus , Calvinus , ac Novatorum reliqui intenderunt nervos omnes ; sed in cassum ; veritas quippe catholica adserit characterem dari , ab hisque imprimi Sacramentis , quae iterari non possunt , Baptismate scilicet , Confirmatione , & Ordine.

CLXXXV. Ille idem character Sacramentalis revera animae inhaeret , atque indelebilis est ; ergo amitti nec per haeresim , aut apostasiam potest.

CLXXXVI. Quaquaversum vergitur serpens haeresis : unus apostata & diabolus connumerat inter Sacramentorum ministros ; alter fideles quoque laicos , & mulieres prohibet baptizare. At declinantes interim à Calvino , contra monstruosum alterum Haeresiarcham toto ore clamamus , non esse singulos prorsus homines quorumlibet Sacramentorum ministros.

CLXXXVII. Valet Sacramentum ab improbo , scelestissimoque ministro collatum , modò nihil eorum desit , quae ad illius constitutionem sunt necessaria , id est , aut materia , aut forma , aut intentio.

CLXXXVIII. Novatorum omnium sensus est ludificationem & irrisionem non officere Sacramentorum virtuti : atque adversus pestilentissimum hoc dogma pugnant Catholici omnes adfirmantes , Sacramentum ratum esse , si Minister revera in animo proponat facere quod facit Ecclesia , secus non item.

Baptismus.

CLXXXIX. Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma , quod vitae spiritualis janua sit : illud cum ob protestationem fidei in Christum , Sacramentum fidei nonnumquam dicitur ; ausi sunt Socinus , & Ostorodius comminisci , nomine baptismi in sacris litteris significari tantum institutionem , doctrinamque Evangelicam. Ne itaque hunc errorem , unde alia pestifera promanant dogmata , absque infixo theta praetermittamus , primo in loco statuendum duxi , turpiter allucinari Socinum , cum absurdo ac planè inusitato sensu unum idemque esse contendit doctrinam atque baptismum.

Contra Socinum.

CLXL. Praestat Baptismus Christi baptismo Joannis , quod ille
ma-

majorem habeat efficaciam, valeatque ad ablutionem culpae; quum iste vi sua conferret legalem tantum, corporeamque munditiam; remissionem verò peccatorum non nisi ratione poenitentiae, fideique suscipientium. Non ergo eadem utriusque virtus, atque energia, quamquam id haeretici fateri recusent, ne cogantur Sacramento Christi tribuere virtutem producendi gratiam, & ejurare malè feriatum de justificatione systema.

Contra Calvinum, Bezzam &c.

CLXXI. Ut illorum mittamus impudentem audaciam, qui Sacramenta quaelibet sensibilia sunt inficiati, baptismum in aqua haerodoxi quamplurimi repudiarunt imperfectissimè, falsò, nec eodem ducti principio; at tenent Catholici omnes naturalem & veram aquam, eamque solam Sacramenti Baptismatis esse materiam.

Contra Manicheos, & alios.

CLXXII. Nec Ecclesiae Romanae recens est usus, sed à Patrum traditione derivatus, ac retinendus omninò, consecratio ac benedictio aquae baptismo deservientis. Blaterantes ergo Novatores nihili pendo.

CLXXIII. Quocumque ritu conferatur baptismus, sive immersione, sive infusione, sive aspersione, validus est: rectè tamen Ecclesia Romana praescribit immersionem, aut infusionem; à Marco autem Ephesino, aliisque Graeculis, quibuscum funem contentio- nis ducimus, malè nulloque jure reprehenditur. Quomodo olim baptizandi mergerentur, aperiam paucis.

Contra Marcum Ephesinum.

CLXXIV. Est legitima, antiquissima item, & omninò certa verborum forma, qua baptizant Latini.

CLXXV. Graecorum verò forma enunciativa est, non deprecativa: valida est ipsa, nec ab ea qua utuntur Latini, substantialiter differt. Unde tamen praeterita aetate invaluerit opinatio, à Graecis formam adhiberi deprecativam; quid etiam causae fuerit, ut vetus Graecia ab habita Occidentalium forma discederet: satis mihi videor attigisse.

CLXXVI. Ab Haereticis autem formas reperies confictas quamplures, quae Sacramenti veritatem tollunt. Novatores tamen etsi apud nos usitatam adhibeant, circa eam tamen errant quam maximè.

CLXXVII. *Ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum, ut in periculo mortis laici baptizent*, ait Calvinus, *quamvis temerè subjiciat: Non video qua firma ratione defendi posse.* O absolutissimum moderationis exemplar! Nefarie, debaccator consceleratissime, Homo quilibet ratione utens, vir sit seu mulier, Catholicus, sive Haereticus, Fidelis, aut Infidelis, essentialibus adhibitis, validè semper baptizat, in necessitatis casu licite; idque Catholica tenet religio, cujus vindicem asseris.

Contra Calvinum.

CLXXVIII. Nec licitè, nec validè baptismus validus iteratur. En hinc Marcionistarum, ac nostri temporis Anabaptistarum jure consепultum errorem.

Anabaptismus refutatus.

Bap-

CLXLIX. Baptismus omnibus *necessitate medii*, & adultis, qui libero utuntur arbitrio, & Evangelicae legis notitiam habent, etiam *necessitate praecepti*, necessarius est ad salutem.

Baptismi
supplemen-
ta.

CC. Supplet in adultis baptismus *fluminis* necessitatem baptismi *fluminis*; non tamen in parvulis, qui per se votum illud concipere nequeunt.

CCI. Martyrium item baptismi vicem gerit, non in adultis modo, sed in parvulis etiam.

CCII. Parvuli rationis usum nondum adepti possunt utique baptizari, imò licet, expedit, necesse est eos salutari unda perfundere. *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc à majorum fide suscepit, hoc usque in finem perseveranter custodit.* Aug. Serm. X. de verbis Apost.

CCIII. Inter effectus baptismi, principem tenet locum gratia santificans, delens verè, ac propriè quamcumque peccati maculam, & origine & actu contractam.

CCIV. Consequitur gratiam hanc cujusque poenae apud Deum luendae remissio. Remanent tamen in baptizatis concupiscentia ad agonem, moriendi necessitas, nec non aliae vitae hujus miseriae, ut infelici docemur experientia.

CCV. Est & alius baptismi effectus, character, scilicet, animae indelebiter impressus.

Confirma-
tio.

CCVI. Confirmationem sacratissimam è numero Sacramentorum abstergere conati sunt quotquot in Lutheri & Calvini abiire partes, horum pestilentissimam secuti doctrinam. Acuit & in eam stylum audax Kemnitius veneno tinctum, impudentissimumque. At firmior stat Catholica veritas, quam ut horum armis concutiatur, ac labe fiat; munitur quippe divinarum Scripturarum firmissima autoritate: roboratur perpetua atque exploratissima traditione. Quibus, quid ultra?

Contra Lu-
ther. Cal-
vini &c.

Contra Dal-
laeum.

CCVII. Ordinarium Confirmationis Ministrum esse solum Episcopum, non Sacerdotem quemlibet, fidei est tenendum dogma contra haereticorum gregem, callidumque Dallaeum.

CCVIII. Est prior hujus Sacramenti effectus gratia santificans, quae in baptizato perfectionem, robur, ac firmitatem ingenerat.

CCIX. Est & alius Confirmationis effectus, character scilicet animae indelebiter impressus, quo fit ut iterari illa non possit.

Eucharis-
tia.

CCX. Pluribus olim praesignatae Eucharistiae dignitas, admiratione potius, quàm oratione prosequenda est, cum longè superet inopiam humani eloquii. Eam autem novae legis verum esse Sacramentum, tenent nobiscum Novatores, si tenere dicendi sunt, qui plura de illa pro more tradunt haeresum, & impietatis portenta.

CCXI. In ea verè, realiter ac substantialiter corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi continetur. Testantur hanc solatii plenis-

si-

simam veritatem Sacrae Scripturae , Sacrosancta Concilia , perpetua Traditio , miracula , imò ipsi fidei adversarii : vide igitur , quam sit Ecclesia adversus portas inferi munita , tectaue.

Contra Calvinum, caeterosque.

CCXII. Illud quoque fidelium cœtus rectissimè tenet , nullam in Eucharistia panis & vini manere substantiam ; sed totam peracta consecratione in Corporis & Sanguinis Christi substantiam converti.

Contra Lutheranos, &c.

CCXIII. Stat ergo Eucharistiae Sacramentum in re permanenti, non in usu tantùm seu sumptione.

CCXIV. Atque hinc consequitur apertissimè , Domino Jesu in Eucharistia existenti Patriae cultum esse exhibendum.

CCXV. Asservanda est quoque religiosè ac diligenter in templis Eucharistia , quem quidem morem perantiquum esse , vel ipsi inimici nostri sunt iudices.

CCXVI. Optimo item providoque consilio solemne Sacratissimi Corporis Christi festum institutum est , quo nimirum Ecclesia victricem de mendatio , & haeresi triumphum reportaret.

CCXVII. Laborant & nunc haeterodoxi virulentia sua , & vatiano atque capitali feruntur odio in factam eo die Eucharistiae circumgestionem. Ea autem quae objectant non pluris ego facio, quàm meras nugas , & cassas glandes.

CCXVIII. Laudabilis pariter , & religiosa est consuetudo aliis quoque temporibus , praeter solemnitatem Corporis Christi , Sacratissimam Eucharistiam exponendi , & circumgestandi ; praeceptionibus tamen nonnullis adhibitis.

CCXIX. At nulli nunc fas est in itineribus Eucharistiam appensam collo deferre : Romanis tamen Pontificibus iter agentibus decenti pompa , & comitatu praefertur.

CCXX. Solus panis triticeus idonea est Sacramenti hujus materia , cujus loco perperam aliam substitues. Taceo hic insanas quorundam Haeticorum spurcitas , ne spurcissimus ipse videar.

CCXXI. At si de calice loquamur , est ejus materia vinum de vite , nec potest sivè aqua , sivè licor alius , etiamsi communi usu deserviat ad potum , vini loco subrogari.

CCXXII. In qualibet specierum parte , seu continuae ille sint, sive ab invicem divisae , totus Christus continetur.

CCXXIII. Eucharistia verbis Dominicis , non praecibus , quae antea vel post in liturgiis recitantur , à Sacerdotibus consecratur.

CCXXIV. Atque eorum est tantùm Sacramentum hoc conficere, & dispensare etiam , quamquam non me latet aliquando dispensasse Diaconos , praesertim sub vini specie , Antistitum tamen jusu ac delegatione.

CCXXV. Christus Jesus instituens Eucharistiae Sacramentum , verum in ea obtulit Sacrificium , praecepitque Apostolis , & in eis futu-

Missae Sacrificium.

*Contra
Luther. &
alios.*

turae usque ad saeculi consumationem Ecclesiae , ut illud in sui offerrent commemorationem.

CCXXVI. Non est ergo improprie dictum Sacrificium , & sola Dominici corporis distributio , & communio , quidquid haeretici organiant ; sed vera est oblatio habens proprii Sacrificii rationem.

CCXXVII. Certissima quoque fide tenemus valere plurimum Eucharistiae Sacrificium etiam ad remissionem , aliaque beneficia obtinenda ; non igitur Eucharisticum , & Latreuticum tantum est, verum & Propitiatorium , atque impetratorium.

CCXXVIII. Non pro vivis tantum , verum etiam pro iis , qui cum pietate defuncti sunt , hoc propitiatorium Sacrificium debet offerri.

CCXXIX. Regnantibus autem cum Christo , & damnatis propitiatorium esse nequit ; pro Sanctis tamen aliis ex causis rite peragitur.

CCXXX. Vera fatetur Lutherus , cum Daemone instigatore librum *de abroganda Missa privata* se edidisse testatur. At ne ullo quidem argumento Theologico demonstrare poterit , Missas privatas illicitas esse.

CCXXXI. Impie quoque , & sacrilege haeretici unam tantum Missam communem , reprobatis caeteris commendant , & praedicant.

CCXXXII. Putidissimam tandem eructant calumniam , dum Missarum multitudinem quaestus causa blaterant introductam.

Poenitentia.

CCXXXIII. Piissimus Dominus , ut Tridentini ajebant PP. , cognoscens figmentum nostrum , *illis etiam vitae remedium contulit , qui se in peccati servitute , & Daemonis potestatem tradidissent , Sacramentum videlicet Poenitentiae , quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Est igitur Poenitentia verum ac proprium novae legis Sacramentum , quo judiciaria Sacerdotum potestate remittuntur peccata. Ergo à baptismi Sacramento distinctum , ejusque memoria.

Contra Novatianos.

CCXXXIV. Nullum reperire licet peccatum adeo grave quod per Poenitentiam expiari , & ab Ecclesia remitti non possit. En assertionem istam convellimus , atque explodimus illorum Haeticorum haeresim , qui omnia peccata paribus aestimando mensuris , eorum remittendi potestatem in Ecclesia negarunt , tum illorum , qui id de gravioribus tantum adfirmarunt.

Contra Lutheranos.

CCXXXV. Lutherus sibi semper similis , Sacerdotis absolutionem extrinsecam , dicit , esse tantum declarationem , qua absolutus excitatur ad fidem : nosti caetera. At in eadem semper erroris navis versatur. Tenendum ergo , esse actum judiciale quo Sacerdos accepta à Christo auctoritate eadem peccata relaxat.

Contra Calvinos.

CCXXXVI. Lutheranos ergo non alias agnoscentes poenitentiae partes , quam terrores incusos , ac fidem ; Calvinistas quoque mortificationem tantum , & vivificationem , riderem ego , nisi res esset plo-

ploratu dignissima.

CCXXXVII. Institutum dixi à Christo Domino hoc Sacramentum, quod tunc praecipue evenit, cum ipse à mortuis exiitatus insuflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis, &c.*

CCXXXVIII. Hominibus post baptismum lapsis ad salutem assequendam necessarium est Poenitentiae Sacramentum, non secus, ac nondum regeneratis ipse baptismus.

CCXXXIX. Dei misericordiae non nihil detrahebant adserentes Haeretici Poenitentiam iterari non posse: potest ergo, non dico usque septies, sed usque septuagies septies.

CCXL. Dimissa per Poenitentiam culpa, & poenae aeternae tollitur reatus; at plerumque poenae temporales remanent luendae. Quantum ergo à veritate exorbitant Novatores!

CCXLI. Ad confessionem ventum est, quàm Haeretici primum (ut ludibrio illam exponerent,) deinde verò etiam catholicorum nonnulli *Auricularem* dixere. De illa divinum extat praeceptum sacris litteris traditum, quodque ex Majorum traditione, ac vetustissimo Ecclesiae usu robur habet, ac firmitatem. Caecutiunt ergo Haeretici perditissimi, dum eam quasi ab Innocentio III. primo inventam despiciunt. Eam quoque adpellant ritum prorsus tyrannicum, legem gravissimam, & intolerabilem, trucemque conscientiarum carnificinam: O ingenia, ingenia!

Contra Lutheranos, & Calvinistas.

CCXLII. Sacramentalis confessio non est medium ad salutem consequendam perutile tantum, verum & necessarium necessitate illa, quam dicunt *medii*, iis qui post baptismum inquinantur mortali culpa.

CCXLIII. Nec sat est aliqua pro libito confiteri peccata: (nam & hoc Haeticos nonnullos dixisse comperio) sed opus est, ut poenitentes lethalia omnia, quorum reminiscuntur, enumerent, aperiantque Sacerdoti.

CCXLIV. Episcopi dumtaxat, atque Presbyteri legitimi sunt Poenitentiae Ministri, quibus proinde à poenitentibus patrata crimina sunt enuntianda.

CCXLV. Uctionis extremae Sacramentum, non modo Poenitentiae, sed & totius Christianae vitae, quae perpetua Poenitentia esse debet, meritò à Patribus consummativum existimatur. Eum Calvinus viperina lingua Sacramentum fictitium, & hystronicam hypocrisim vocat. Verum tamen esse ac proprium novae legis Sacramentum, tum ex Catholica Jacobi Epistola, tum ex perpetua Traditione invictissime demonstratur.

*Extrema-
Unctio.*

CCXLVI. Oleum ex olivis expresum, & ab Episcopo consecratum hujus est Sacramenti materia. Catholici consentiunt: perperam ergo Calvinus Olei hujus benedictionem cum mordacitate deridet.

Contra Lutheranos, Calvinos, & alios.

CCXLVII. In Extremae - Uctionis Sacramento aliqua verborum for-

formula est adhibenda , quamquam id ad ludificationes , & ineptias , quibus hoc Sacramentum oppugnant , referant haeterodoxi.

CCXLVIII. Hujus Sacramenti sunt Ministri non majores natu, nec qui fidei primogenitura caeteros antecellunt , sed qui Sacerdotio sunt initiati.

CCXLIX. Nec dubitari quit , an Episcopi , cum & ipsi Presbyteri sint , valeant aegros Unctione Sacramentali delinire : immò & ad illos maxime , nisi aliis ministeriis detenti essent , munus hoc pertineret ; unde ad Parochos attinet , iisque absentibus ad Presbyteros alios.

CCL. Quamquam juxta variam Ecclesiae disciplinam ad inungendos infirmos aliquando plures presbyteri simul convenerint : at tamen potest Extrema - Unctio conferri ab uno tantùm Presbytero, idque nec Epistolae Jacobi , nec definitionibus Ecclesiae , neque invariabili traditioni adversatur.

Ordo.

CCLI. Ordo illorum hominum spectans conditionem , qui sese divinis , sacrisque Ministeriis addicunt , quique Clerici adpellantur, verum est propriumque legis Evangelicae Sacramentum.

CCLII. Hac dignitate donatur Presbyteratus , qui non solùm propter Ministerium Verbi , sed ulterius , & quidem precipuè propter Sacrificium supremo Domino etiam in nova lege offerendum, confertur.

CCLIII. Confertur in Sacra Ordinatione Presbyteris etiam facultas absolvendi à peccatis , haecque retinendi.

CCLIV. A primaeva Ecclesiae Catholicae constitutione , atque ab Apostolorum tempore Episcopi ordine ac dignitate Presbyteris praefuerunt. Neque tot Ecclesiastica Hierarchia habuisset oppugnatores , si Episcopi honore nebulones quidam docorati fuissent , quem tantopere concupierant.

CCLV. Extra omnem controversiam positum est , Ministros hujus Sacramenti ordinarios esse Episcopos. Potest tamen ex commissione Ecclesiae , seu Summi Pontificis Tonsuram ac Minores Ordines simplex Sacerdos conferre : idque Abbatibus ab Episcopis benedictis concessum , necnon S. R. E. Cardinalibus.

Contra Donatistas.

CCLVI. Validae sunt Ordinationes factae ab Episcopis quacumque Haeresi aut crimine pollutis , necnon excommunicatione , aut censura alia innodatis ; dummodò cum necessaria intentione adhibeant materiam , formamque legitimam atque ipsi eadem ratione inaugurati , & consecrati fuerint Episcopi. Id cum desit in Ordinationibus peractis ab Haereticis Angliae praesulibus , habes , quodnam de illis iudicium feras.

Matrimonium.

CCLVII. Matrimonium , cui magna est cum Ordinatione Sacra similitudo , non ad santificationem modò suscipientium , verùm & ad publicum commodum , utilitatemque christianae Reipublicae est
ins-

institutum ; ad copulandos nempè conjuges , qui legitimè filios procreare , instituere , pascere , ac regere teneantur. Res est ergò naturali , ac divinae legi consentanea , licita item , atque honesta.

CCLVIII. Matrimonium ex divina institutione nedùm sacrae rei est symbolum , verùm & efficax signum gratiae in lege Evangelica eaque ratione proprii nominis Sacramentum. Utrumque negant Haeretici ut undequaque Matrimonium , è numero Sacramentorum dispungant.

Contra Lutheran. Calvin. , aliosque.

CCLIX. A tempore Evangelicae Legis nequit cum pluribus uxoribus iniri conjugium ; polygamia etenim illicita , atque irrita est.

CCLX. Soluta cum priore conjuge per mortem , aut alia de causa conjugio , fas est aliam ducere , eademque ratione tertiam , & quartam &c. nihilque , ut puto , his secundis nuptiis deficit ad Sacramenti rationem.

CCLXI. In Evangelica lege propter solam fornicationis , seu adulterii causam , nexus ac vinculum Matrimonii minimè dissolvitur.

CCLXII. At si quis dixerit Matrimonium ratum , non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi : anathema sit. Trid. Syn. Sess. XXIV. Can. 6.

CCLXIII. Circa Matrimonium , quod Sacramentum non est , sed contractus tantùm civilis , cujusmodi est quod inter infideles contrahitur , potest Magistratus , & Princeps saecularis causas assumere , & constituere impedimenta.

CCLXIV. At posteaquam Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum est , poenes Ecclesiam solam jus residet , & auctoritas impedimenta Matrimonii statuendi , atque de hoc judicia proferendi. Cave tamen putes Ecclesiae nomine Principes , ac Magistratus saeculares intelligi , ut ineptissimè Launojus putavit.

CCLXV. Dispensare itidem in impedimentis Matrimonii Ecclesiasticae potestatis munus est , idque urgentibus dumtaxat causis fieri debet.

CCLXVI. Purgatorium dicimus locum aliquem à Deo constitutum , in quo maculis levioribus purgentur , aut pro poenis temporalibus persolvant animae fidelium , qui in gratia Dei decedunt , & purgatione indigent , antequam in possessionem Beatitudinis mittantur.

Novissima.

Purgatorium.

CCLXVII. Quamdiu in loco isto concluduntur animae subsidiis fidelium pluribus possunt solatium capere , atque suffragiis eorum juvari.

CCLXVIII. Praeter Purgatorium est longe horribilior locus improborum suppliciiis numquam vel leniendis , vel finiendis paratus , quem Gehennam , sive infernum nominamus , quam in rem profitentur Patres in Concilio Florentino , animas illorum , qui in actuali mortali peccato , vel solo originali decedunt , mox in infernum descendere , poenis tamen disparibus puniendas. Itaque puniuntur ibi infantes , qui moriuntur sine Baptismo.

Gebenna.

CCLXIX. Caeteri reprobi peccato personali obnoxii acerbissimè punientur & poena damni , & interiori vermis , & externa veri ignis atrocissima , & tormentis cujuscumque generis immanissimis.

Contra Origenistas, & Socinianos.

CCLXX. Horum suppliciorum aeternitatem in controversiam vocavit Origenes , atque errorem ejus jam diu sepultum excitarunt novissime Sociniani audacia minimè ferenda.

Judicium universale.

CCLXXI. Praeter Judicium particulare , quod in exitu vitae omnibus à Deo fiet , in quo quilibet aut ab ipso Judice , aut à conscientia propria divinitus illustrata intelliget sententiam de se latam, sive secundam , sive adversam ; multo illustrius futurum est Judicium illud , quod universale adpellamus , propterea quod in exitu rerum omnium congregatis in locum unum mortalibus , de universorum vel praemio , vel poena à Christo est judicandum.

CCLXXII. Circa aetatem, quae mundo adhuc supersit, designandam, seu divinandam eò progressa est fiducia non paucorum , ut debuerit ipsis obviam ire Concilium Lateranense IV. poenis gravissimis in eos propositis , qui auderent certam Judicii diem de caeterò designare.

Mortuorum Resurrectio.

CCLXXIII. Mortuorum Resurrectio , quae fidei nostrae , ut docet Apostolus , est stabilimentum (*Si mortui non resurgunt , neque Christus resurrexit ; quod si Christus non resurrexit , vana est fides nostra*) oraculis nec paucis , nec obscuris utriusque Testamenti splendidè demonstratur.

CCLXXIV. Futura est Resurrectio in ipso eodem corpore , quod morte dissolvitur ; atque omnes quidem resurgent immortales , sive Beati , sive Reprobi.

CCLXXV. Electorum corpora comitabitur incorruptio , ac inde decor , & venustas , sicuti & caeterae notissimae ipsorum dotes in gloriam eorum splendidissimae , contra vero damnatorum corpora ignominiosa quaedam adficiet obscuritas ad sempiternam eorum contumeliam.

SCHOLAE POSITIONES.

EXISTENTIA DEI , NATURA , ET ATTRIBUTA.

I. **H**Aud est nobis innata Dei notio , & idea : unde enuntiatio haec , *Deus existit* , quamquam in se nota sit, non tamen quoad nos.

II. Non per causam aliquam , sed ex effectis dumtaxat Deus nobis innotescit.

III. Argumentum illud , quod nobis aperit motorem primum stabili-

bilem, sine quò concipi nequeunt motus illi, quos in natura, quae per se iners est, videmus, publicum semper fuit, sensibile, splendidissimum, aptissimumque ad vincendos pervicaces, hebetioresque.

IV. Argumentum aliud, quod nos velut manu ducit, cogitque, ut fateamur, esse causam primam rerum omnium creatricem firmissimum quoque est, invictissimumque.

V. Illud etiam, quod ex consideratione entium contingentium, & mutabilium nos erigit ad cognitionem Entis necessario existentis, immutabilis, & aeterni, ineluctabile prorsus est.

VI. Caetera, quae ens infinite perfectum, & provisorem, ac gubernatorem summum suadent, talia profecto sunt, quae tantum stipitem non moveant. Tandemque sufficit coeli, telluris, rerumque, quae coelis, terraque continentur, vel pertransennam contemplatio demonstrandae sapientiae, ac omnipotentiae creatrici.

VII. Quid verò de Cartesii demonstrationibus? Elumbes illae sunt, fluxae, planeque vitreae.

Contra Car-
tesium.

VIII. Nè idiota quidem unus, vel agrestis deprehendi supremi Numinis inscius sine piaculo potest. Vides hinc peccatum philosophicum procul asportatum.

Contra pro-
pugnatores
peccati phi-
losophici.

IX. Dei naturam *Physicè* spectatam omnium perfectionum, & ornamentorum complexum adserimus: at *Metaphysicè* per esse à se parum aptè exprimitur.

X. Absolutissimus intelligendi actus per se existens naturae Divinae praecipua dos est, ex qua caeterae emanant, ac derivantur.

XI. En ergo Metaphysicam Divinitatis notionem: *Ens summe, atque actualissime intelligens.*

XII. Distinctionem formalem ex natura rei, quae Scoti esse dicitur, ab essentia & attributis Dei longe volumus abesse.

Contra dis-
tinctionem
Scoticam.

XIII. Sola rationis ope Divina attributa à se invicem, & ab essentia discriminantur; proinde distinctio omnis intrinsecùs Divina adficiens, eliminanda est.

DEUS QUALITER VIDENDUS.

I. **C**orporeis oculis Deum aspici non posse, universa fatetur Theologorum caterva? Quid si supernum illis robur adveniat? Neque omnino ita.

II. Quid si spiritualis visio eis adhaereat? Apage commentum.

III. Impar est humana ratio, ut vel possibilitatem divinae visionis viribus deprehendat suis.

IV. Homini puro mortalem degenti vitam, nequit ex communi lege clara Dei visio concedi.

V. Si verò sensibus carnis non utatur, potest divina ope Creatoris naturam intueri.

Hac

VI. Hac peculiari praerogativa donatum fuisse Mosem , probabile reputamus ; ejusdemque privilegii participem facimus Paullum.

VII. Quod Beatorum mentibus non pari gradu divina natura adfulgeat , in causa est , si Physicè loquamur , sola superni luminis inaequalitas.

VIII. Beatorum mens , etiam Dei operante dextera ad plenam creatricis naturae comprehensionem evehi nequit. Facessat Vasquesius dum ineptum , ac putidum ducere visus est , communem Theologorum sectari sententiam.

IX. Gaudebunt in coelo Beati conspectu naturae , attributorum , & personarum.

X. Neque per absolutam Dei potentiam accidet , ut divina natura sine attributis , aut una persona sine altera videatur.

XI. Non vident tamen Beati quae intra divinae potentiae limites delitescunt possibilia.

XII. Conspiciunt autem inter creaturas praeteritas , praesentes , & futuras , eas , quae speciatim eos , ac praecipuè tangunt.

D E I S C I E N T I A .

I. **S**ummam Dei scientiam ex ipsius immaterialitate aptissimè derivat carissimum nobis caput Angelicus Thomas.

II. Non adhaereo Vasquesio veram , ac propriè dictam scientiam Deo deneganti. Nihil enim est cur cognitionem suorum attributorum ac rerum creatarum scientiam non adpellet , & praestantissimum attributum.

III. Est verò divina scientia , ne virtuali quidem intercedente distinctione , intellectus ipse divinus : re autem est ipsa Dei substantia connotans intelligibilia objecta , ex quorum diversitate nomina sortitur *practicae , speculativae , liberae , necessariae , visionis , &c.* de quibus cum volueris.

IV. Videt Deus cuncta in se , ut in incommutabili ratione rerum intelligibilium : minimè verò in rebus ipsis.

V. Futurum quodlibet , etiam contingens & liberum , futurum dici non patitur , nisi decreto Dei fore statuatur.

VI. Neque ex divina essentia ante decretum , neque ex supercomprehensione , ut ajunt , caussarum secundarum , neque ex relicta sibi causa secunda , neque ex decreto ut futuro praecognito , neque ex veritate propositionum , sive formali , seu objectiva , haurit Deus futurorum notitiam.

Medium in quo Deus futura cognoscit.

VII. Noscit futura Deus in decreto ea determinante : rectius in ejus essentia decreto determinata.

VIII. Futura quaelibet conditionata contingentia , disparata licet , à Deo etiam cognoscuntur quàm certissimè.

Cog-

IX. Cognoscit ea quoque Deus in decreto suo , absolutum nostri vocant , prout Deum respicit , conditionatum verò prout objecta connotat.

X. Intelligi haec quoque volumus de futuris naturalibus.

XI. Nec in alio videt Deus mala culpaë , quàm in suo decreto, seu praedeterminatione actus , cui adnectitur peccati malitia.

XII. Futura quoque ordinis supernaturalis status naturae innocentis in eodem ipso decreto à Deo praevidentur. In eo ergo perseverantiam conspexit Angelorum.

XIII. In his omnibus propugnandis ne hillum quidem discedimus à gemina Theologorum lampade Augustino , & Thoma. His si plus detulisset Molina , nec novitatis illicio captus inventum *scientiae mediae* propalasset , nec tot excitasset tragaedias , nec doctrinae suae proscribendae praesentissimum discrimen attulisset.

DEI VOLUNTAS.

I. **S**ola propria & increata bonitas divinam primò movet , ac terminat voluntatem.

II. Omni quo potest conatu , omni qua potest necessitate , & specificationis , & exercitii , in propriam fertur bonitatem divina voluntas.

III. Nuncupatur Dei voluntas alia *signi* , alia *beneplaciti* ; *antecedens* alia , alia *consequens* , sortitur haec semper effectum suum antecedens verò non item.

IV. Dei voluntatem antecedentem circa omnium salutem , veram , propriam , ac sinceram dicere haud verebor.

V. Voluntas isthaec dicitur conditionata non à conditione , quae ab hominum pendeat libertate , sed quae in Creatoris arbitrio sit posita.

VI. Singulis hominibus moralem agentibus vitam auxilia ad salutem sufficientia confert Deus , prout cujusque exigit natura , proutque loci ratio , temporisque postulat.

VII. Praedeterminavit ab aeterno Deus cunctas actiones nostras liberas supernaturales , & bonas , & malas , non eodem tamen modo.

VIII. Divinorum decretorum efficacia non à creatura repetenda est , sed ab omnipotentissima Dei voluntate , quae quaquaversum arbitratu suo hominum animos flectit lenissimè.

*Divinorum
decretorum
efficacia.*

IX. Malum nullum qua malum est , à Deo adpetitur , seu efficitur directè : malum verò quod naturae dicimus , & poenae indirectè quandoque ab eo caussantur.

X. Nusquam tamen malum culpaë à Deo producitur , quamquam ad entitatem ejus non simultaneè , aut permissivè tantum , sed & praeviè , & positivè concurrat.

L

PRAE-

PRAEDESTINANS PROVIDENTIA.

I. **P**raedestinatio ad gloriam recte ab Augustino dicitur : *Praescientia , & praeparatio beneficiorum , quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.*

II. Necessaria adeo est Praedestinatio , ut nullus salutem adipiscatur , quin in praedestinatorum sit numero.

III. Praedestinatio ad gloriam electionem illam antecedit , quae est ad gratiam ; haec illam subsequitur.

IV. Praedestinationem ad gloriam esse in statu naturae lapsae gratuitam omninò , litterae sacrae demonstrant , apertissimè Ecclesiae docent lumina Augustinus , & Thomas , atque rationi ipsi reperitur consentaneum.

V. Praedestinationis effectus primarii sunt Vocatio , Justificatio , & Glorificatio.

VI. Non efficax vocatio , & justificatio per peccatum interrupta Praedestinationis quoque sunt propagines.

VII. Ejusdem surculi à nobis in praedestinitis habentur & felix gratiae usus , & merita inde procedentia.

VIII. Permissio ipsa peccati in praedestinationis effectum ab eo dirigitur qui mel de petra producit , oleumque de saxo durissimo.

IX. Certum omnino Deo quot , quique salvandi ; utrumque nobis prorsus incognitum , quamquam certò sciamus magnum quidem esse salvandorum numerum , at valde exiguum , si cum damnatis conferatur.

X. Possumus variis ab Scriptura , & Patribus mutuatis signis aliqualem nostri à Deo praedilectionis conjecturam habere.

XI. Reprobatio alia est *positiva* , *negativa* alia. Illa est actus , quo reprobis infligenda poena decernitur. Haec autem non in nuda electionis negatione consistit , sed in divinae voluntatis actu , quo permittere vult Deus , aliquos propria à gloria deficere culpa , & propter culpam damnationis poenam infligere.

XII. Negativa reprobatio non in reprobatorum antevisis demeritis , sed in Dei bonitate causam habet.

XIII. Cur hunc autem prae alio negativè reprobet Deus , ejus tantùm stat pro ratione voluntas.

XIV. Originalis noxa non est motivum reprobationis eorum , qui veterem hominem in baptismo exuerunt.

Dum de praedestinatione agitur , minor eorum Patrum habenda est ratio , qui floruerunt ante exortam haeresim Pelagianam , quàm eorum , qui ipsa grassante , vel jam sopita vixere. Plus in hac re quàm PP. graecis deferendum Latinis. At Latinorum omnium , quorum in hac controversia major est auctoritas , Princeps est , consensu Theologorum , Augustinus.

DEUS

- I. **N**ullus acie naturalis ingenii valet Trinitatis Mysterium percipere, neque fide imbutus illud positiva argumentatione evincere, nec possibilitatem ejus reddere manifestam.
- II. Stabilita semel fide, valet hoc Mysterium variis suaderi congruentiis, & ab errantium argumentis vindicari.
- III. Mysterii hujus notitiam veteris legis Patriarchis, Prophetis, ac singulari sanctitate praecellentibus concessam fuisse, certum putamus: vulgo tamen Judaicae gentis negatam credimus.
- IV. Cur sola Filii, non Spiritus processio sit generatio, nodus est Theologorum torquens ingenia. Quamquam autem sententia nulla sit, quae rem planè demonstrat, ea tamen mihi rem acu videtur attingere, quae causam repetit, ex quo Verbum per intellectum, Spiritus verò S. per voluntatem procedat.
- V. Sunt in Deo quatuor relationes reales, Paternitas nempe, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, seu processio.
- VI. Divinae Personae non propriis donantur existentiis, sed communi essentiae existunt existentia.
- VII. In Deo secundum naturam spectato, seu personis praeintellecto, absoluta extat subsistentia, qua per se stat, & subsistit.
- VIII. Tamen praeter subsistentiam absolutam naturae sunt in Deo tres subsistentiae relativae, & personales.
- IX. Verbum Divinum per se, & *quarto*, ut ajunt, *modo* non solum ex essentiae, & attributorum cognitione procedit; sed & relationum, & creaturarum possibilium, non item futurarum.
- X. Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, non est cur dicere renuam: nec locutione hac scandalum Latinis Graeci peperere.
- XI. Pater & Filius unum sunt, non duo, Spiritus Sancti principia.
- XII. Monitos tandem volumus de Trinitate disserentes, ut vocabulorum vim, & usum seriò perpendant, quaenamque usurpare, quaenam vitare debeant. Ea propter Romanae, & Apostolicae Ecclesiae definitiones sunt sedulò investigandae; dedecet enim proferre, quae Magistra veritatis non comprobatur, sicut ea reticere, quae laudat. Dicam de hoc plura; ac de singularum personarum nominibus non pauca.

ANGELORUM NATURA ET DOTES.

- I. **A**ngelorum existentiam, si ratione naturali demonstrare velis frustra fueris.
- II. Angelos multimodis adpellabo mortales. Quod si immortalitatis nomine permanentia subsistentiae intelligatur, quae nullam habeat

beat potentiam intrinsecam ad non esse inclinantem , Angeli dicendi sunt natura sua immortales.

III. Tanquam probabilior eorum tenenda est sententia , qui Angelos existimant unà cum rebus corporeis à Deo fuisse creatos. Haudquaquam iudices sententiam hanc ad fidem spectare.

IV. Neque ad fidem attinet vulgaris opinio tenens Angelos in Empyreo fuisse creatos ; imò illi poterit quisque impunè refragari.

V. Angeli extensione nulla corporea suapte natura praediti sunt, nec materiam ullam etsi spiritualem fingas , induunt.

Contra Platonicos.

VI. Subtilissima quoque corpora naturaliter unita , qualia eis tribuerunt Platonici , nesciunt omnino. Hanc oppugnare adsertionem praeceps mihi temeritas.

VII. Possunt Angeli corpora adsumere , in eis tamen operae vitae vere non exercent.

VIII. Sunt Angeli non ubique , sed in determinato loco : cave verò fingas , corporum eos more existere per extensionem.

IX. Angeli ab uno in alium possunt transire , transeunt imò, locum. Audies me de hoc plura nec injucunda narrantem.

X. Angelos praetervolant secreta cordium : non tamen Theologis comperta hujus ignorationis causa.

XI. Mens Angelica se ipsam semper actu cognoscit : cognoscit quoque semper ex naturalibus Deum.

XII. In Angelis sanctis Deo potentibus , quaemadmodum Iudicii flexibilitas , ita & voluntatis nutatio desideratur frustra.

XIII. Se ipsos quoque Angeli cuncti necessario diligunt : in caeteris omnibus existunt liberrimi.

XIV. In prima sui conditione receperunt Angeli naturalem beatitudinem , supernaturalem non item.

XV. Opus eis erat auxilio gratiae , ut in Deum supernaturalis beatitudinis objectum potuissent converti.

XVI. Compertissimum puto , gratia sanctificante Angelos donatos fuisse , antequam ad beatitudinis pervenissent terminum.

XVII. Non ita compertum , eam in sui creatione accepisse , & si probabilius id mihi adpareat.

XVIII. Quot suam instantibus compleverint Angeli viam , audies è suggestu. Si verò nervos ingenii exeras omnes nunquam in primo instanti peccare potuisse , commostrabis.

XIX. Peccaverunt itaque Angeli apostatae , non omissionis , sed comissionis peccato , quod quidem superbiam fuisse dicimus.

XX. Exploratum theorema est , non tamen ad fidem expectans, inferni ignem materiale esse , & corporeum.

XXI. Aeternis vinculis hujus ignis Deus colligavit Angelos , ex eo accipientes poenam , quòd ea conjunctione non sint , ubi volunt ; ubi nolunt verò existere cogantur.

Lo-

XXII. Loquuntur ad invicem Angeli , seu superiores inferioribus , seu inferiores superioribus , seu omnes Deo.

XXIII. Angelorum exercitus novem ordinibus continetur : novem hi ordines tribus Hierarchiis clauduntur. Quid ergo de Thalmudistarum distinctione in Mazaloth , El , Legion , Rihaton , Chirton , & Gustera ? Apage aniles fabulas.

*Contra
Thalmudistas.*

XXIV. Quantum boni Angeli ad salutem animarum excubant, tantum mali habent de illarum exitio sollicitudinis , & negotii ; sicut ergo à Deo Custos Angelus hominibus deputatur , ita & à Daemionum Principe malus delegatur.

XXV. Naturalis virtus Daemonis prodigia , ac portenta plura efficit , quae tamen mira non essent ni rerum nos ratio lateret.

XXVI. Homines etiam improbi mirabilia quandoque Daemonum ope patrare possunt , eorumque praestigia rectissime permittit Deus : quin rectissime per ipsos vera operatur miracula.

XXVII. Mirabilia Daemonum à Dei mirabilibus pluribus distinguuntur characteribus.

XXVIII. Miracula omnipotentis dextra patrata verae Religionis sunt nota & character , nec Deus talia per Cacodaemonem operari in argumentum erroris potest , vitiorumque commendationem.

XXIX. Artes magicas profiteri , atque exercere maximum est ac detestabile scelus. Videsis non illam nos magiam exagitare per quam arte vel naturali scientia plura praeter consuetum , ac omnibus compertum naturae ordinem efficiuntur.

Contra Magiam.

CREATIO COELI , ET TERRAE.

I. **C**Reari ita Divinitatis virtus & character est ut creaturarum nulla ad eam dignitatem aut potentiam valeat attolli.

II. Mundus reipsa unicus existit , plures tamen possibles non inficiamur , qui Omnipotentis jura tuemur.

Contra Epicureos.

III. Si de anni tempestate qua Deus tam praeclarum opus molitus est , ariolari licet , id verno tempore contigisse credimus.

IV. Perfectus usque adeò è Dei manu prodiit mundus , ut nihil ei desit , quo numeris omnibus sit absolutus.

V. Sex dierum spatio , quemadmodum candidè , & perspicuè docet Moyses , non unico temporis momento rerum omnium formationem complexus est Deus.

VI. Creavit Dominus hominem ad imaginem suam , quae in facultate intelligendi , & volendi , & in arbitrii libertate consistit.

VII. Adam non infantili aetate , sed juvenili robore ab initio conditus fuit : non Pygmaeus , non Gigas.

VIII. Nec primorum Parentum corpus Androgynum fuit , viri , scilicet , simul & foeminae ad latus haerentium.

Contra Euhubinum.

M

Quae

IX. Quae de productione Evae cap. Geneseos II. narrantur , non parabolicè , non translàtè , sed litteraliter , & historicè dicta , tene.

X. Paradisus felix innocentis Adae habitaculum , locus corporeus est in orbe terrarum , non tota terra.

XI. Eva in prima rerum productione producta fuit , non quidem eodem instanti , sed tamen eadem die ac Adam.

XII. Creavit Deus Adam extra Paradisum , Evam autem in Paradiso.

XIII. Existit & nunc Paradisi locus , ast nomen cum amoenitate amissit.

XIV. AEquissima fuit lex principio homini lata , ut certae arboris cujus ignoramus speciem , fructum non tangeret.

XV. Suasor primi peccati fuit Diabolus , usus , ut Mulierem alloqueretur , verò ac naturali serpente tamquam organo & instrumento.

XVI. Etsi in transgressione protoparentum plurium fuerit peccatorum complexio , fuit primum tamen radix caeterorum superbia.

ULTIMUS HOMINIS FINIS ET BEATITUDO.

I. **O**Mnibus suis actionibus finem praefigit homo , modo humanae illae sint.

II. Agentia singula si pro acquirendo fine laborare dicas non morabor , tantummodò rationalia inter & ratione carentia aequum statuas discrimen.

III. Impossibile omninò est quod homo in plura , tanquam in totales adaequatosque suae actionis fines , simul semelque feratur.

IV. Quaecumque advertenter concupiscit homo in finem ea ultimum , seu actu , seu virtute dirigit.

V. Hominis beatitudinem *formalem* in Dei illapsu humanae animae intra essentiam haud consistere reperies. Nec in increata Dei visione creaturae illa communicata stare potest.

VI. Ad Metaphysicas tricas venire , si cupis , statumque beatitudinis , ejusque essentiam Scholasticorum forfice libeat discindere , constanter adseremus , hanc in pluribus haudquaquam esse sitam actibus.

VII. Hinc , dum pro voluntatis & intellectus operationibus lucram cernimus , huic primas committimus , in ejus actu felicitatem locantes.

VIII. Deum intuentibus jucunda plurimum , & quoad speciem , & quoad exercitium , est amandi necessitas.

IX. Jucundissima quoque donantur peccandi impotentia : usque adeò Deo viso & amato adhaerescunt.

X. Qui vel ipsum habituale peccatum cum beatitate componat,
al-

alter mihi erit Achilles.

47

XI. Gaudent propria beatitudine Sancti , qui eam se non posse perdere sciant , ejus ita exigente natura.

XII. De dotibus , quibus animae cumulantur Beatorum , de his quibus eorum ornantur corpora , de ipsorum quoque Aureolis nostram experire , si lubet , in eo navatam operam.

*Beatorum
dotes , &
aureolae.*

H O M I N U M O F F I C I A .

- I. **V**oluntarium recte audit : *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.*
- II. Cum voluntarium perfectum dicis , non ais liberum : non enim idem utrumque.
- III. Poteris actus à voluntate imperatos , non elicitos , cogere , aut externa vi remorari.
- IV. Quos actus à voluntate violentiam perpessa extorseris involuntarii sunt poenitus.
- V. Quae autem actiones , impellente metu , fiunt , simpliciter sunt voluntariae , involuntariae secundum quid.
- VI. Concupiscentia , quae dicitur antecedens , voluntarium causat potius , quam perimit : quanto autem ipsa fortior est , tantò libertati detrahit.
- VII. Ignorantia si actum praecesserit , erit ille involuntarius ; si consequatur , voluntarius ; si concomitans illa fuerit , actum dicimus non voluntarium.
- VIII. Haec nobis arridet ab Ang. Doctore tradita libertatis elucidatio : *Vis electiva mediorum servato ordine finis.*
- IX. Vera libertatis essentia non in sola stat immunitate à coactione , sed in indifferantiae libertate.
- X. Voluntatem malum sub mali ratione adpetere , efficies , cum ab occasu nascatur Titan.

H U M A N I O F F I C I I M O R A L I T A S .

- I. **P**rima essentialisque actus humani bonitas , seu malitia , ab objecto quoad mores spectato est desumenda.
- II. A circumstantiis quoque pensanda est humani officii natura , à fine praesertim quo allicimur , atque movemur.
- III. Circumstantiarum quaedam diversam tribuunt actioni ab objecto moris naturam , quaedam bonitatem , seu malitiam augent , minuuntvè intra eundem ordinem.
- IV. Actus ex objecto simul & fine bonus ab illo essentialem sumit bonitatem ab ipso accidentalem. De actu malo idem esto iudicium.

Sor-

V. Sordescit actio, si malitia, vel indirecte tantum adpetatur: contra, non erit illa proba nisi bonitas sit directè concupita.

VI. Intentio recta ex prava electione foedeatur; hac ex illa non haurit honestatem, ejus tamen nequitia minuitur.

VII. Actus humanus duplicem bonitatis, seu malitiae speciem valet adipisci, dummodo ex objecto una, ex fine altera proficiscatur.

VIII. Actio natura bona, si pravus finis una causa est ejus electionis, omni ex parte polluitur.

IX. Quod si finis in causa tantum non est ut eligatur, & bonitatis, & malitiae sortietur speciem.

X. Actus secundum speciem indifferentes vix unus negat; at in individuo, etiam injectis unguibus, invenies nullum.

XI. Externum opus nihil per se addit decoris; aut turpitudinis interiori voluntati in rem honestam, iniquamvè deliberate vergenti: nec pensatur apud Deum ex officio, sed ex animo praemii dignitas, vel supplicium.

CONSCIENTIA MORUM REGULA.

I. **I**nterior morum regula, quàm *Conscientiam* consuetum est adpellare est: actus mentis, quo de his, quae hic, & nunc agenda sunt judicamus, an omittenda sint, an executioni mandanda. Ejus multiplex est divisio juxta varias judicii nostri conditiones.

II. Hoc extra dubium situm est, teneri nos semper morem gerere conscientiae rectae moraliter certae, necnon erroneae cum invincibili ignorance conjunctae.

III. Conscientiae quoque praecipienti, seu prohibenti etiam si vincibili ducatur errore, refragari, nefas judico.

IV. Nunquam licitum est sequi conscientiam dubiam haesitantem scilicet, & in neutram partem protendentem, neque eam, quae probabilis tantum cum sit, ad certitudinem moralem non pertingat.

V. Sola igitur conscientia moraliter certa est aequa morum regula.

VI. Nefas pariter est, opinione duci minus probabili stante pro libertate in concursu opinionis probabilioris, tutiorisque.

VII. Nec fas amplecti opinionem probabilem libertati lenocinantem, relicta altera aequè probabili, quae stet pro praecepto.

VIII. Complecti tamen possumus in qualibet materia, si de sola actus honestate objectiva agatur, sententiam probabilem, quae post diligentem veritatis inquisitionem appareat opposita probabilior.

IX. Illicet viro Theologo ex sententia, quàm ipse oppugnat, censetque minus probabilem, alteri consilium dare; tametsi non ignoret, eandem sententiam tamquam probabiliorem ab aliquibus propugnari.

Pes-

X. Pessime quoque se gerunt , Deumque provocant homines ignari varios adeuntes Casuistas , eo consilio , ut tandem inveniant benigniorem propriae cupiditati indulgentem , digni profecto in quos Deus spargat poenalem caecitatem.

XI. Non debet Confessarius absolutionem impendere iis , qui sequuntur opinionem minus probabilem stantem pro libertate , illamque deponere detrectant.

DE VIRTUTIBUS.

I. **N**ihil est aliud juxta Augustinum , & Thom. virtus quam bona qualitas mentis , qua recte vivitur , & nullus malè utitur.

II. En ut virtute morali nemo per se , ac proprie abuti potest.

III. In Schola Thomistica , ac si diceres in S. Thoma , triplex est subjectum moralis virtutis , intellectus , voluntas , & adpetitus sentiens.

IV. Praeter virtutes morales acquisitas , alias nos à Deo infusas habere , pro certo habeo.

V. Duos inter scopulos versatur virtus , excessum scilicet , & defectum : in medio itaque constituenda.

VI. Virtutes morales acquisitae , dum perfectè habentur , ita sunt ad invicem conexae , ut qui una caret nullam perfecte habeat.

VII. Cum omnis virtus sit ordinata ad fruendum summo bono , & utendum bonis commutabilibus , virtutes omnes , vel ad tres Theologales , vel ad quatuor Cardinales reducuntur.

PECCATI NATURA ET SPECIES.

I. **A** Virtute ad vitium nostra progreditur oratio ; nescit enim nemo , exitialem ad invicem iniisse pugnam , nec idem compati subjectum.

II. Vitium quodcumque cuius virtuti opponatur , contrariatur naturae hominum nobilissimae.

III. Peccatum , quod à vitio discriminari nosces , optimè à Theologis , Aug. praeceptore , difinitur : *Dictum , factum , vel concupitum contra aeternam Dei legem.*

IV. Ex ordine ad objecta specie diversa , peccata specie distinguere noveris.

V. Numero autem vel à diversitate objectorum , vel ex actus interruptione.

VI. Imparia esse peccata alibi me dixisse memini ; non tamen una est hujus inaequalitatis causa. Referam lubenter.

VII. Peccati subjectum non sola voluntas est , sed & ratio , &

N

ap-

appetitus sentiens , dum tamen consensum aliquem à voluntate extorsit.

VIII. Adulti perfecta ratione pollentes , possunt remotiora , & obscuriora juris naturae praecepta inculpatè nescire.

IX. Dum actus peccati transit , macula in anima permanet. Haec non reatus poenae est , non denominatio , ut dicitur , extrinseca , non demum habitus , seu inhaerens ad malum vehemens inclinatio.

X. Ergo peccati labes privatio est decoris , nitorisque gratiae , prout tamen à peccato praeterito ducit initium.

XI. Utraque peccati poena , damni , & sensus finita est ex intrinsicis , at poenam damni aliquo sensu infinitam dicere non verbor.

XII. Quantumvis peccata venialia mille supra mille produxeris , nec unum poterunt efficere lethale , ad illud tamen disponere propria experientia discimus.

XIII. Quodlibet peccatum mortale in esse moris spectatum nequitiae est simpliciter infinitae.

XIV. Angelici Doctoris sententia de praecepto se convertendi ad Deum in instanti primo rationis ab omni animadversione est immunis , estque adeò probabilis , ut vix non certa ; qui ergo fieri poterit , ut eum sugillantes audiam sine stomacho ?

Contra Illyricum.

XV. Originale peccatum non est mala , ac perversa substantia , ut affirmavit Illyricus Centuriarum Magdeburgensium praecipuus compiler.

XVI. Non ipsum quoque est Adami personale delictum , nec reatus tantum culpa , uti nec concupiscentia ipsa , prout Novatores expetunt.

XVII. Complectitur itaque peccati originalis natura privationem originalis justitiae , & concupiscentiam ; adeò ut haec sit originariae culpa quasi materies , privatio vero gratiae illud sit , quod adpellant Theologi *formale* peccati.

XVIII. Qui tamen fieri potuit , quaeris , ut in pulcherrimam à Domino conditam animam tàm horrenda tabes irrueret ? En nodum vel ipso Aug. implexum : At tanto praeunte Magistro hac via solvendum puto : Contrahitur originalis noxa propagatione naturae , eo quod concupiscentia , & libidine seminetur corpus , cui lege providentiae anima à Deo inseritur , unde haec carnis consortio vitatur , & cum corpus in lumbis praecontineretur Adae , is communem infecit naturam , estque ab hanc originarium delictum singulis proprium , & originaliter voluntarium.

JURIS , ET AEQUI REGULAE.

I. **P**Eccata nulla extitissent , extarentve amplius , nisi praecepta quaedam , & instituta hominibus fuissent impossi-

si-

sita. Jussa igitur haec Leges adpellamus, quarum nomine non aliud intelligo: quam, *Ordinationem rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgatam.*

II. Praecellit leges omnes aeterna, quam dum adpello, intelligo ipsam rationem divinam, vel voluntatem Dei, ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem.

III. Ab ipsa lege aeterna tamquam à fonte, & origine caeterae dimanant, & progrediuntur.

IV. Legis Naturalis existentiam propria conscientia didicimus: ejus autem praecepta omnia ad duo reducuntur, dilectionem Dei nimirum, & proximi.

V. Haec per abrogationem, aut subtractionem mutari non potest.

VI. Nec Romanus Pontifex, nec Deus ipse in praecepto ullo naturalis legis potest proprie dispensare.

VII. Leges humanas, quarum nomine Constitutiones intelligo Ecclesiasticas, & Civiles, deberi alicubi promulgari, ut vim ligandi obtineant, res est notissima.

VIII. Ea ut lex obliget requiritur promulgatio, qua possit ad subditorum pervenire notitiam.

IX. At si juris positivi ratio habeatur, debent Imperatorum leges in singulis provinciis promulgari, ut valeant obstringere, neque id praestant, nisi duobus à promulgatione mensibus.

X. Id quod probabilius teneo de legibus Pontificiis jus novum, novamque obligationem inducentibus, ni contrarium exprimat Pontifex.

XI. Nec lex Civilis, sicut nec Ecclesiastica à populi pendet acceptatione; latae igitur à rectore legi parere tenemur.

XII. Ecclesiastica lege nullus directè potest praecipere interior actus, qui nullam cum exteriori habeat connexionem.

XIII. Possunt autem praescribi actus illi interni, sine quibus externi quidam nequeunt exerceri.

XIV. Humanae leges non semper ligant cum gravi nocumento, & periculo vitae.

XV. Non potest legislator operi, quod tam in se inspectum, quam attentis rerum circumstantiis leve est, parvique momenti, adnectere obligationem sub poena mortalis culpae.

XVI. Legislatores quivis, & ipse aliquo pacto propriis obstringitur legibus.

XVII. Advenae, & Peregrini locorum ut plurimum, ad quae accedunt, tenentur legibus, non proprii, unde abierunt, territorii.

GRATIA DEI.

I. **M**emor altissimus Legifer infirmitatis nostrae quàm maximae, gratiam eam contulit hominibus, qua possint & le-

leges implere aequissimas , & improbae naturae onerosam molem portare , Gratiam hanc intelligo , non Conditoris dona ad naturam spectantia , quamquam & haec aliquo sensu gratiam pleno ore appellabo , sed beneficium nobis divina liberalitate collatum intuitu meritorum Christi in ordine ad supernam beatitudinem. In quo ejus natura sit constituenda liberius discam , quam dicam.

II. Hoc modo accepta Gratia dispescitur in gratiam gratum facientem , & eam , quae gratis data passim audit. Haec ea est , quae nobis ad proximorum utilitatem divina liberalitate tribuitur , cujusque novem species refert Apostolus : illa est , quae ad propriam salutem eorum , quibus confertur , est potissimum ordinata , quaeque plures alias patitur divisiones , quas praesto sum referre.

III. Potest utcumque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem absque speciali gratia scrutari , dummodo libera mente ab obstrepentibus sensuum fallaciis sese ad intimam rationis claritatem convertat ; omnes autem non potest.

IV. Ut mens piis studiis intenta juvetur ad aeternam vitam capessendam , opus est gratia carnales vincente cupiditates.

V. Plerumque impii aliquid boni gerunt , quod facile majori vitio obruitur , & dehonestatur ; at non possunt opus aliquod honestum ad aeternam conducens beatitudinem sine gratiae auxilio operari.

VI. Non possumus absque gratia carnales vincere sensus , atque super omnem creaturam diligere Deum , quod est in lege maximum , & primum mandatum.

VII. Ad observanda divina praecepta , ut oportet , ob anceps judicium mentis , animique corpore gravati aegritudinem , cogimur divinam quaerere sanantem gratiam.

VIII. Homo lethali macula corruptus nisi speciali gratia succurratur nequit omnia peccata mortalia vitare , nec omnes vincere tentationes.

IX. Toto vitae tempore nequit pugnam , quam internis movent exteriora perfecta victoria superare ; unde nemo vitare potest peccata quaeque venialia nisi speciali detur privilegio.

X. Nemo potest se *positive* ad gratiam disponere , nec lege , aut promissione aliqua , vel pacto largitur Deus supernaturalium gratiarum auxilia *facienti quod est in se* per vires naturales arbitrii.

XI. Gratiam sufficientem eam adpello , quae posse quidem dat , non tamen velle : efficacem autem illam , quae cum effectu semper conjuncta est.

XII. Hujus efficacia non à rerum euentu , nec à congruitate circumstantiarum , nec aliunde quàm ab omnipotentissima Dei voluntate est repetenda.

XIII. Duplex haec gratia homini est necessaria quocumque ille
in

in statu consideretur : ergo & Adamo , proindeque Angelis.

XIV. Gratiae hujus effectricem causam nullam reperies praeter Deum ipsum.

JUSTIFICATIO ET MERITUM.

I. **N**EC de potentia , ut ajunt , absoluta potest Deus peccatori peccata dimittere , hicque justificari , quin intrinsecus immutetur.

II. Peccatum mortale quodcumque fingas , nequit cum gratia sociari , etiam Dei operante manu.

III. Inquinatissimus Calvinus vel ipsum *meriti* nomen inimicè insectatur , fastuosissimum adpellans , & ab aliquo *Sophista rabula* primum inductum ; sed nimium profecto in Scholasticos homo iste excandescit , rabula ipse ravirusque latrator.

Contra Calvinum.

IV. Quas requirunt haeretici ad meritum conditiones diris devoveo ; quas Catholici admitunt animo amplector.

V. Duplex est meriti genus , de *congruo* & de *condigno* ; atque illius non hujus rationem habent opera justificationem praecedentia.

VI. Hominis autem justificati bona opera verè vitam aeternam promerentur , de congruo nedum , sed & de condigno.

VII. Regnantes in gloria electi , & etiam justii peregrinantes à Domino possunt de congruo promereri aliis primam gratiam , non tamen de condigno.

VIII. Qui sanctitatis jacturam fecerit , si misericorditer trahatur ad poenitentiam , gratiam iterum consequetur , non merito condigno praecedentis justitiae , quae deperiit ; sed merito de congruo praesentis contritionis , & gemitus.

FIDES SPERANDARUM SUBSTANTIA RERUM.

I. **F**ides christiana , qua nihil praestantius , nihil utilius ea est , cujus divina claritate perfussi , quae nec Atheniensium Philosophorum assidua contemplatio , nec idololatrarum gentium excogitavit religio , divini cultus praecepta , morum institutiones , virtutum officia , & firmissimam , atque concusam Theologorum dogmatum doctrinam absque ulla erroris caligine assequimur , tradimus , propugnamus. Recte haec ab Apostolo dicitur : *Sperandarum substantia rerum , argumentum non apparentium* , quibus verbis , paucioribus licet , tota fidei natura perfectissime continetur.

II. Objectum hujus virtutis materiale est omnis à Deo revelata

O

ve-

veritas , sive ad credendum proposita ; summa autem Dei veracitas , est ejus formalis ratio.

III. Fidei veritatibus assentimur , non propter Ecclesiae testimonium , sed propter summam Dei revelantis veracitatem.

IV. Quod fidei nostrae mysteria evidenter credibilia sint , sunt etenim , non tollit quod praestitus illis assensus liber evadat.

V. Nulla mundi aetate homines placere Deo sine fide potuerunt, atque in veteri Testamento necessaria erat Mediatoris fides ; sed non explicita in ejus divinitatem , uti nec in Trinitatis Mysterium.

*Contra Mel
chiorem Ca-
no.*

VI. In hoc legis Evangelicae statu requiritur ad salutem explicata fides Dominicae Incarnationis , ac Individuae Trinitatis , nec ad salutem modo , sed etiam ad justificationem.

VII. Tenemur aliquando fidem profiteri : at inculpatim Christiani , etiam Episcopi , Persecutoribus se fugiendo surripiunt , nisi aliter suadeat fidei causa , plebisque Christianae periclitatio.

VIII. Numquam fas est usurpatione rituum , ciborum , vestium, nominumque gentium idololatrarum , ubi sint superstitiosi cultus indicium , religionem calidè simulare.

IX. Non permanet vera , & Catholica fides in homine haeretico , etsi unum tantum articulum pernegaverit.

X. In purgantium animis à coelesti patria adhuc extorribus vera fides perstat.

XI. At in solutis corpore animabus , suoque in termino consistentibus supernaturalis fidei habitus non perseverat.

SPES NOSTRA IN DEO.

I. **C**UM fides rerum sperandarum praestantiam statuatur ob oculos , illarum gignit desiderium , atque expectationem, sine qua humana studia , laboresque flaccescerent. Est itaque Spes: *Virtus divinitus infusa per quam , certa cum fiducia nostrae salutis , & aeternae vitae bona divino auxilio obtinenda expectamus.*

II. Hujus Spei objectum ut adpellant , *materiale* est ipse Deus in quantum est immortalium animorum vita , merces , & finis ultimus ; item ea omnia , quae ad ipsum Deum nos perducunt. Formalis vero ratio , est ipsa Dei misericordia , ac omnipotentia quibus opitulantis aeternam vitam , quae nobis promissa est , acquirere possumus.

III. Spes si in homine charitate destituto reperiatur imperfecta illa quidem ; at vera est virtus.

IV. Adest spes in homine fideli quantumvis scelestissimo , dummodò desperationis , vel praesumptionis vitio non deturpetur.

Idem

V. Idem de animabus in Purgatorio degentibus adserendum est; nam in iis quemadmodum fides, ita spes manet proculdubio.

VI. Aliter pronuntiandum de iis, qui in inamissibili termino versantur. Si enim damnati, extrema miseria non compatitur meliorum expectationem: Si autem Beati, quod quis videt, quid sperat?

VII. At quanta est sperantium certitudo, & fiducia? Maxima quidem, ac multiplici ex capite orta. Haec tamen certitudo spei salutarem timorem minime excludit.

VIII. Inter varias timoris species, qui mundanus dicitur vanus est, perversus, & noxius. Qui servilis bonus, utilis, supernaturalis, & donum Dei. Ast prae caeteris laudandus timor castus, quo anima timet, ne à Domino deseratur.

CHARITAS VIRTUTUM NOBILISSIMA.

I. **C**ongruit, ut post fidem, & spem Charitatem omnium virtutum potissimam excellentissimamque explicemus, cujus, vel nomen ipsum letitiam parit. An non natura? At qui vera est ipsa, caeterisque omnibus longe praestantior inter Deum, & homines amicitia.

II. Definiri autem consuevit Charitas: Virtus divinitus infussa, qua Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur. Est ergo divina bonitas formalis Charitatis ratio.

III. Nec specie differt Charitas, qua proximum propter Deum diligimus, ab ea, qua Creatorem ipsum amore prosequimur.

IV. Cuilibet actui Charitatis, quantumbis remisso, seu ab ipsa eliciatur, seu imperetur, augmentum Charitatis de condigno debetur; unde & gratiae, & gloriae.

V. Est Deus Charitate super omnia, & prae omnibus diligendus, tenemurque, quoties libere operamur, actiones nostras in ipsum refferre.

VI. Cum dictum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul dilectio nostri abs nobis non est praetermissa: tenemur ergo nos amare; cavendum tamen, ne tantum hic amor à Charitate differat, quantum à virtute vitium, sitque cupiditas radix malorum.

VII. Jubemur & peccatores diligere; peccata autem omni odio prosequitor.

VIII. Decipitur quisquis putat se proximum diligere, dum externa tantum amoris exhibet argumenta neque eundem interno affectu prosequitur. De ordine in proximorum dilectione servando multus fiam.

Praeci-

IX. Praecipimur & inimicos diligere ; nec dum justae adsint conditiones interdicitur Christianis bellum gerere.

INCARNATIONIS OECONOMIA.

I. **N**ulla res est , propter argumenti dignitatem , amplitudinem , atque utilitatem praestantior ; nulla proinde , in quam intendere magis debeamus jugem meditationem , mentisque conatus , quàm in Redemptionis nostrae oeconomiam , & divinae Incarnationis altissimum sacratissimumque Mysterium. Hujus possibilitate gaudemus Catholici ; ethnici nihil contra evincunt.

II. Incarnationis possibilitatem si ratione demonstrare velis cum ratione profectò insanies. Sola revelatione cognoscitur , quae quibusnam fuerit concessa abunde ex me nosces.

III. Incarnatio Verbi Angelis , hominibus , verbo , toti universo convenientissima fuit. Numquid & Deo ? Id utique adsero.

IV. Haec Verbi inhumanatio non ita convenienter facta fuisset in exordio , aut exitu mundi , convenienter peracta est in temporis plenitudine.

V. Cave dicas necessariam omnino ad humani generis reparationem Incarnationem : fuit improprie tantum , seu secundum quid.

VI. Homo purus condigne pro lethali peccato satisfacere nequibat. Ad id ergo necessaria Incarnatio.

VII. Quilibet autem homo in justitia constitutus pro levi , seu veniali macula potest justum debitum exolvere.

VIII. Sciscitanti ad quae peccata delenda venerit Christus , actualia reponam , & originis ; ad hoc tamen praecipuè.

IX. Christum Dominum personam ex duabus naturis compositam dicere , quid est quod renuam ?

X. Humanae naturae unio ad Verbum substantialis dicenda est , nullo modo accidentalis. Adpellabo quoque eam naturalem , omnium maximam , perpetuam , indissolubilem.

XI. Incarnationem nec veteris testamenti Patres , nec ipsa Verbi Divini Mater , potuit de condigno mereri ; potuit tamen de congruo.

XII. Tota Trinitas Incarnationem operata est , nec creaturarum ulla tantum opus valet efficere.

XIII. Beata Virgo non fuit instrumentalis causa conjunctionis humanitatis ad Verbum.

XIV. Persona nulla creata , imo nec earum ulla , quae inter possibles delitescunt , alienam valet terminare naturam ; est id Divinae Personae proprium jus.

XV. Verbum Patris in singularitate Personae , non in unitate

te naturae alienam naturam proxime terminavit.

XVI. Dum Filius Dei naturam induit humanam, verum ac naturalem accepit sanguinem, sibi que hypostaticè univit.

XVII. Anima, corpus, tota humanitas, eodem temporis momento fuere à Verbo accepta. Si vero ordines intentionis, & executionis ratione discernas aliter res se habet pro rationum momentis.

XVIII. Beatissimam Christi Animam per gratiam, ut ajunt, substantialem unionis *formaliter*, seu vere ac proprie sanctificatam volumus.

*Sanctitas
Christi.*

XIX. Non sanctificatur tamen per Verbi personalitatem *qua personalitas est*, sed ut divinitatem secum adducit.

XX. Habuit praeterea Christus sanctitatem accidentalem, sive habitualement gratiam.

XXI. Creatam hanc gratiam à primo habuit conceptionis instanti, quin propterea unionis hypostaticae proprietas Physica sit dicenda.

XXII. Virtutibus omnibus supernaturalibus fuit ornata adsumpta humanitas, si fidem, spem, atque poenitentiam demas, quibus carere summa fuit perfectio.

*Virtutes,
& dona.*

XXIII. Fuerunt & in Christo virtutes cunctae naturales, quae per se adquisibiles dicuntur.

XXIV. Decorata fuit etiam Christi Anima Spiritus Sancti Donis omnibus.

XXV. Donata fuit insuper iis omnibus gratiis, quae gratis datae nuncupantur.

XXVI. Abundavit animus Christi omni plenitudine gratiae, haudquaquam tamen habuit infinitam.

Gratia.

XXVII. Christus, qua homo, super universam Ecclesiam dignitatem obtinet capitis: quod non secundum animam habet tantum, sed & secundum corpus.

XXVIII. Christus est actu caput fidelium omnium etiam peccato inquinatum; ast imperfectè.

XXIX. Haeretici quicumque, vel tantum occulti Christi Dom. haud censendi sunt membra.

XXX. Idem est iudicium de primis parentibus in statu innocentiae constitutis.

XXXI. Est Christus propriae, & vere caput Angelorum; non ita tamen perfectè ac hominum.

XXXII. Unam tantum influit in Angelos Christus gratiam & gloriam accidentalem, secus verò essentialem.

XXXIII. A gratia habituali non à gratia unionis in Christum descendit capitalis dignitas.

XXXIV. Habuit in hac mortali vita Jesu anima Beatorum scientiam, viditque adhuc in via gloriam, & divinitatem.

Scientia.

XXXV. Hac scientia à primo conceptionis instanti pollebat Christus.

XXXVI. Quamquam Christi anima clarius quam quaevis creatura divinam intueatur naturam, non tamen eam comprehendit nec quidem id valet.

XXXVII. Anima Christi per beatam scientiam omnia praesentia, praeterita, & futura in Verbo cognovit; non vero possibile cuncta.

XXXVIII. Hanc praeter scientiam beatam, fuit Christi mens scientia infusa, eaque perfectissima decorata.

XXXIX. Ea Christus cognovit naturalia omnia, & supernaturalia; igitur & cordis latitantes cogitationes.

XL. Pollebat quoque Christus scientia per se adquisibili, & experimentalis, eamque propriis adquisivit actibus.

XLI. In ea Christus scientia profecit, quin tamen aliquid ab Homine, seu ab Angelo didicerit.

XLII. Excellentem operandi virtutem inesse Christi humanitati, fatemur cuncti; omnipotentiam autem habuisse, aut potuisse habere inficiari tenemur.

XLIII. Jesu Domini humanitas, seu in terris degens, seu coelis adsistens, est, & fuit physica instrumentalis causa gratiae, & miraculorum.

XLIV. Nihil Christus voluit voluntate absoluta per aliquem adimplendum, quod non fuerit factum.

XLV. Christus Dom. humanis iis adfectionibus obnoxius fuit, quae Verbi incarnati dignitatem haudquaquam dedecent.

XLVI. Quos adsumpsit Jesus defectus non peccati debito, sed propria voluntate contraxit.

Impeccabilitas.

XLVII. Visionem divinitatis Animae Christi conferre firmissimam, perpetuamque non peccandi virtutem, arbitror extra litem. Sed hinc potissimum derivantibus Salvatoris nostri impeccantiam, (sit verbo venia) adeò ut visione privatus divinitatis, (si capere tamen id vales) foret voluntas Christi capax peccati non adsentior.

XLVIII. Concupiscentia, seu peccati fomes in Christo nec actu fuit, nec potuit esse, seu eam *in actu primo* consideres, seu *in secundo*.

XLIX. Unus, & unum dicendus est Christus, haud tamen duo.

L. Etsi duabus naturis donetur Christus una tamen praeditus est existentia, Verbi scilicet.

LI. Impositum fuit Christo Dom. strictum moriendi praeceptum, nedum mortem ipsam attingens, sed & ejus circumstantias.

LII. Hoc stante praecepto, summa stante Christi impeccantia liberrime tamen mortem subiit.

Meritum, & satisfactio.

LIII. Sibi Christus gloriam corporis meruit, nominis exaltationem, & alia quae ad exteriorem ejus excellentiam pertinent bona.

Nus-

LIV. Nusquam autem evinces , sibi gratiam habitualem , aut essentialem gloriam promeruisse.

LV. Nobis Christus meruit gratias actuales , gratiam justificantem , gloriam , auxilia omnia , supernaturalia dona ac omnes nostrae praedestinationis effectus.

LVI. Angelis vero gratias tantum accidentales promeruit , non gratiam , aut gloriam primariam.

LVII. Christi opera ; nedum ex Dei acceptatione , sed ex intrinsicis etiam infiniti fuere praetii , & ad meritum , & ad satisfactionem.

LVIII. Satisfactio Christi nedum aequivalens fuit verum , & superabundans.

LIX. Nihil in Christi satisfactione repertum quod ad severas justitiae leges non sit exactum.

LX. Christus Jesus ut Homo verè Servus Dei est servitute naturali.

LXI. Christus pro nobis in mundo oravit , etiamque nunc in coelis existens interpellat proprissimè.

LXII. Oratio Christi , quae à voluntate efficaci deliverante ratione procedebat , fuit semper à Patre exaudita.

LXIII. Jesus Christus , etiam ut homo est , non est Filius Dei adoptivus adpellandus.

LXIV. Divinitas Christi , ejusque humanitas eadem adoratione latriae adorandae sunt.

LXV. Si vero humanitatem per mentem à Verbo praescindas , poteris eam cultu inferiori ob creatas ejus perfectiones adorare.

LXVI. Imagines Dei , atque Angelorum possunt coli , itemque depingi.

LXVII. Prout diversa ratione Sacras Imagines consideres , aequali , aut minore adoratione , ac prototypus , erunt dignae.

LXVIII. Crux Christi , sive in qua pependit , sive ad ejus similitudinem efficta , reliquae illius Reliquiae , necnon Sanctorum , cultum ac venerationem promerentur.

LXIX. Quantacumque sit Almae Deiparae excellentia , nusquam tamen latriae cultu adoranda.

Christi adoratio, sanctorumque Imaginum cultus.

CHRISTI VITA , ATQUE MYSTERIA.

ADvenit tandem auspiciatissimus ille dies , quo generis humani Reparator Deus Homo Christus Jesus toties à Prophetis praedictus , totidem à Patribus desideratus , humanam decoraret naturam , ipsamque è Diaboli eriperet unguibus , carnem nostram superinduendo ; O felix , fortunataque dies ! Ad rem.

I. Celebre Jacobi vaticinium , *Non auferetur sceptrum de Juda,*
&

& *Dux de femore ejus*, &c. ad amussim in Christi Nativitate fuit adimpletum. At, bone Deus! quot, quantaque narrant somnia Judaei obcaecatissimi.

II. In Jacobea praedictione nomine Judae non una specialis Tribus, sed tota gens Judaica intelligenda venit.

III. Herodes, quo rerum potente natus est Christus, etsi Religione Judaeus, Idumaeus tamen ipse fuit, & alienigena Judaeorum respectu.

IV. Undecumque septuaginta Danielis Hebdomadae initium sumant, invictissimè eo oraculo demonstratur Messiam jam pridem venisse, eumque non alium esse, quam Christum Jesum.

V. Aggaeus, & Malachias Christum quoque nostrum praedixerunt luculentissimè.

VI. Messias Lege promissus nasci debuit Bethleem Judae à Tribu Judae, ac stirpe David.

VII. Christus sacris oraculis praenunciatus, non Judaeos tantum, verum etiam Gentiles, ad se vocaturus erat; aboliturus erat quoque Idololatriam: utrumque praestitit Jesus.

VIII. Leviticum veteris legis Sacerdotium, tametsi divinitus institutum, certo dumtaxat tempore erat duraturum, finemque sub Messiae temporibus habiturum. Illud Mariae Filius ablegavit, novumque instituit.

*De Christi
Genealogia.*

IX. Mosaica Lex, miraculis etsi sancita, ac prodigiis confirmata, à futuro Messia erat rescindenda, eliminanda, antiquanda: quod non sine stomacho conqueruntur Judaei, Jesum nostrum praestitisse.

X. Christus Dominus secundum carnem è familia, ac radice David descendit.

XI. Christi genealogiam contexunt Mathaeus, & Lucas. Nec te eorum moveat in verbis discrepantia, quae nulla in re profectò est; cum alter carnalem Christi progeniem, legalem alius describat.

XII. Dubia, incertaque censemus, & B. Mariae V. piorum Parentum sterilitas; concepto voto, ac singulari portento depulsa, ut effoeta prorsus aetate Mariam gignerent, & undecennis Puelae Mariae in Templo commoratio, aliaque id genus commenta, quae ex impuris quibusdam lacunis Graeci Scriptores primae, ac posterioris aetatis pleno pectore biberunt.

*Virginis
praesentatio.*

XIII. Dum ea otiosorum hominum commenta rejicimus, Virginis Deo in Templo praesentatae solemnitatem ab Ecclesia die vicesima prima Novembris celebrari solitam non est quod improbeamus, temereque statutam dicamus.

*Votum
Virginitatis
à Deipara
emissum.*

XIV. Certo certius est B. V. Mariam fuisse voto Virginitatis obstrictam nedum ante nuncium Angelicum, sed etiam antequam esset Joseph desponsata.

XV. Illud etiam citra dubium omne ex PP. sententia reponimus Deiparam mortalium primam Virginitatem vovisse, eandemque servasse ex voto.

XVI. Quo vero aetatis anno votum istud emisserit, & quale fuerit absolutum an conditionatum: in Palaestra.

XVII. Ea sententia mihi magis arrisit, quae Virginem jam tum Matrimonio Josepho junctam agnoscit, dum ab Angelo salutata fuit.

*B. Mariae
V. cum S.
Joseph ma-
trimonium.*

XVIII. Quoto quisque vitae anno Matrimonium inierint? Definire impossibile est. Nullatenus tamen verosimile est Josephum de-
vexa jam aetate, annisque gravem, octogenarium nempe fuisse; Mariam vero puellam, seu vix quatordecim annos assecutam esse, dum ambo Matrimonio jungerentur.

XIX. S. Joseph non opinione dumtaxat, sed verè pater Christi adpellatur, & fuit, non quidem natura, sed jure eoque strictissimo Matrimonii.

XX. Cum B. Virgo vera, & realis Mater Christi sit, verè, & propriè potest & debet dici Mater Dei.

XXI. B. Virgo peperit absque dolore.

XXII. Christus natus est in Bethleem Civitate Judae, seu Tribu Judae.

*Deiparae
partus Chri-
sti natiuitas*

XXIII. Christum natum esse in suburbio Bethleem in spelunca diversorio conjuncta Brutis animantibus destinata, haud improbabilibus argumentis convincitur.

XXIV. Perperam ab aliquibus risu excipiuntur, quae de brutis ad praesepe Domini accubantibus Christianus populus sibimet persuasit.

XXV. Cum universa tam Graeca, quam Latina Ecclesia constanti Majorum traditione tenemus, natum esse Christum vicessima quinta Decembris.

XXVI. In ipso noctis meridie in hanc exterminii terram prosilivit Redemptor.

XXVII. Magi Christum adoraturi non advenerunt Jerosolymam bienio post ejus nativitatem, sed decimatertia tantùm die.

Magi.

XXVIII. Magos hos Regulos fuisse, atque Toparchas, res est valde probabilis; mihi quidem planè persuasi, plurimum licet succenseas.

XXIX. Adorarunt Magi puerum Jesum latriae cultu, non civili dumtaxat, qualem Orientis populi Regibus suis praebere consueverunt.

XXX. Christi Dom. circumcisio non in Templo, aut Synagoga peracta est, sed in spelunca Bethleemica, aut vicina domo.

*Circumcisio
Domini.*

XXXI. Non à Pontifice summo, non à Sacerdote aliquo, sed ab alterutro Parente Jesus circumcisisus fuit. Hinc ride Pictores, si sapis.

Q

In

XXXII. In hac terra nostra sacrum suum reliquisse praeputium Jesum - Christum , opinor : locum tamen , in quo ille colatur , aegrè mihi commonstrabis.

Virginis Purificatio.

XXXIII. Verba illa Luc. c. 2. *Postquam impleti sunt dies purificationis ejus secundum Legem Moysi* , ad Mariam sunt referenda , minimè ad Filium.

Innocentium mors.

XXXIV. B. Virgo legi Purificationis pro puerperis datae non erat summo jure adstricta : se tamen illi rectè subjecit.

XXXV. Nec primogenitorum lege ligabatur Christus : attamen congruè eam adimplevit.

XXXVI. Herodes Infantium caedem edixit , non duobus post Christi Nativitatem transactis annis , sed statim post Purificationem , & fugam in Aegyptum.

XXXVII. Si occisorum Infantium numerum patefaceres , alter mihi fores Apollo : nam Graecorum Menologia hac in parte rideo.

Salvatoris baptisma.

XXXVIII. Christus à Joanne baptizatus est anno aetatis suae circiter tricesimo.

XXXIX. In Jordane prope Bethaniam , quae nomine alio dicebatur *Bethabara* , ablui voluit Jesus.

XL. Prodigia , quae Christi baptisma comitantia referunt Evangelistae , non in ipso baptismo , sed eo peracto , evenerunt.

XLI. In eam facillè descendo sententiam , quae nec speciosum nimis , ac insigniter venustum adserit , neque facie turpi , atque deformi , Christum Jesum ; sed decenti , ac mediocri oris forma.

XLII. In Christi praedicatione venit priori loco recensenda vocatio Apostolorum ; quorum mitto notissima nomina.

Transfigurationis.

XLIII. In eo positam fuisse Domini Transfigurationem putamus , quod immutata manente corporis , & faciei figura , splendorem clarissimum Solis ad instar emiserit.

XLIV. Proditoris Judae patria non Urbs *Carioth* fuit , sed *Scarioth* , aut *Iscarioth* Tribus *Ephraim* oppidulum.

Christi miracula.

XLV. Praedicationem suam Christus miraculis confirmavit divina virtute patris , quae neque ab Evangelistis conficta , neque naturali aut magica facultate peracta asserimus.

XLVI. Eminent inter Christi miracula , tanquam maximum & praeclarissimum quatruiduani Lazari suscitatio , quam in dubium revocare , unus Julianus blasphemus pariter & Apostata auderet.

Abagari Epistola.

XLVII. Fama virtutum & miraculorum Christi extra Judaeorum fines resonante fertur ad eum epistolam dedisse Abgarus Edessenorum Toparcha , & vicissim Domini litteras recepisse. Quamquam ergo is non sum , qui possim ejusmodi epistolas genuinas demonstrare , dubito tamen quin aliquis spurias mihi demonstraturus sit.

Pascha Judaicum.

XLVIII. Christus Dominus pridie quam pateretur legale Pascha una cum discipulis suis manducavit.

Pas-

XLIX. Pascha Judaicum immolabatur luna XIV. exeunte, non ineunte, id est, horis pomeridianis decimae quartae diei mensis Nisan, ad quas consequebatur vespera, initiumque diei XV. & Paschalis solemnitas.

L. Tempore Christi Domini non utebantur Judaei duplici Neomenia, à phase lunae, & à congressu planetarum deducta, neque duplici calculo Astronomico, & vulgari, quorum unum Dominus, alterum Jerosolymitani secuti sunt.

LI. Eadem ergo die cum Judaeis Pascha typicum Christus celebravit.

LII. Nec Judaeorum ullus anno passionis Christi distulit Pascha in proximum Sabbatum, & in exeuntem lunam decimam quintam.

LIII. Liqueat ex his Christum Dominum Sacramentum corporis sui in azymo consecrasse.

*Contra
Graecos.*

LIV. Idem piissimus Redemptor corpus suum, & sanguinem sumpsit: dedit & Judae hominum iniquissimo.

LV. Postquam autem cum Apostolis celebravit postremum epulum, gratis de more peractis, trajecit Redemptor torrentem Cedron, contulitque se in hortum Gethsemanis, ubi vehementissimè mortis subeundae sensu commotum grumos sanguinis sudasse, verissima est historia, non assuta Evangelio Lucae narratio.

*Sudor Jesu
sanguineus.*

LVI. In horto comprehensus Jesus à Romana cohorte, missisque à Judaeorum Senatu apparitoribus, quos illuc adduxit proditor Iscariothes, arctaque vinctus custodia ad Annae, & Caiphae aedes perductus est, ac tandem ad Praesidem Pilatum, ubique ludibriis affectus, & declaratus à Judaeorum consessu reus mortis.

LVII. Proditor interim facti poenitens retulit praetium execrandi facinoris, triginta scilicet argenteos, projectisque in templo, in desperationem actus laqueo sese necavit. Quanti triginta illi numi penderent, non est omnino exploratum.

*Judae in-
teritus.*

LVIII. Tam vili, Dominus & universorum Conditor venditus, traditusque manibus peccatorum, post quaedam judicialia acta immanissimè flagellis caesus est, nudusomninò, & ad columnam alligatus. Numerum quidem verberum definire non ausim: attamen opinionem asserentium Christi flagellationem non fuisse adeò diram, atque cruentam, ut tradi solet, jure meritoque tanquam derogantem Dominicae passionis atrocitati rejicio.

*Redempto-
ris flagella-
tio.*

LIX. Flagellatus ergo fuit piissimus Nazarenus dirè, irreverenter, immaniter, & tanquam humilis servus, non vitibus, aut fustibus solis; sed funiculis taxillatis, infixisque aculeis, aliisque acerbioribus flagis faede laceratus.

*Corona Spi-
nea, alia-
que.*

LX. Flagellis addidere milites coronam spineam, coccineam chlamidem, & pro regali sceptro arundinem ad ludibrium augendum, & risum concitandum. Invaluit opinio coronam illam è marinis junc-

juncis fuisse contextam. Hinc Serrius ex tripode pronunciat, spinas omnes, quae variis in locis ad fidelium cultum asservantur, si ex ramnis sint, aut dumis, aut sentibus, omnino habendas tanquam suppositas. Censeo nihilo tamen minus plexam coronam illam ex illo spinarum genere, quod rubum adpellant, aut ramnum.

Veronica.

LXI. Dimisso Barraba humani generis typum gerente, Christus ad crucem damnatus, ad montem Jerosolymae proximum, cui nomen *Calvariae*, trahitur crucifigendus. In occursum ejus venisse fertur pia mulier, lineoque, aut bombycino velo manantem à Jesu vultu sanguinem, sudoremque abstersisse, expresa divinitus in pannelo sacrati vultus imagine. Ego autem inglorium non puto de Veronica sentire cum plebe; nec enim excogitatum est à Mariano Scoto commentum.

LXII. Apparentem Marcum inter & Joannem Evang. circa horam dominicae Crucifixionis discrepantiam non una ratione diluam. Traditur Dom. Jesum, dum penderet à cruce, ad occidentem spectasse.

Cruce Dom.

LXIII. Crux Domini duobus lignis arrectario scilicet, ac transverso fabricata est: Fuisse ex robore, aut quercu res est plane incerta: atque in eadem sum haesitatione circa ligni suppedaneum.

LXIV. Subscribo existimantibus suffixum cruci Servatorem quatuor clavos. Audio quidem clavis Domini 25. diversis in locis asservari; erunt quidam, reor, verorum contactu, aut scobe aliqua consecrati, quidam ex his, quibus Martyres mystica Christi membra confixi sunt.

LXV. Perdunt operam qui unius A. Gelli testimonio probare nituntur Domini crucifixores fuisse Bruttios, seu Calabros.

LXVI. Postquam Redemptor noster verba illa *Eloi*, &c. non quidem hebraea lingua, aliaque nonnulla protulit, commendata piissima Matre discipulo, consummatisque omnibus, quae de eo scripta erant, *inclinato capite tradidit spiritum*. Tunc tenebrae ad tres horas non solum per Judaeam, sed per universam faciem terrae factae sunt.

*Lateris
apertio.*

LXVII. Ut milites Jesum viderunt mortuum, con fractis latronum cruribus, ipsorum unus *lancea latus ejus aperuit*, & continuo exivit sanguis, & aqua. Hunc militem Longini nomine adpellatum communis fert opinio, cujus Christi Martyris exuvias in Romana Augustinensium S. Aug. Aede servari, testatur Baronius; huic aegre quidem assentiar, dum Longinum ipsum putat Centurionem, qui exclamavit: *Verè Filius Dei erat iste*.

*Contra Cal-
vinum, Be-
zam, &
aliosque.*

LXVIII. Abeant tandem hinc malè feriatii homines, insanique, qui non ex verbis, ut par est, Evangelicis, sed ex Galeni atque Hypocratis Aphorismis postremum Christi miraculum, verè magnum pensitantes, illud pessumdare aggressi sunt.

Die

LXIX. Die post Resurrectionem suam quadragesima , feria quinta , quae anno illo incidit in quintam Maii , Jesus Christus ascendit in Coelum in Bethania ex monte oliveti in quo vestigia pedum terrae impressa reliquit.

*Dei Homi-
nis Ascen-
sio.*

LXX. Probabile valde judicamus , Pilatum Caessari Tiberio gesta & miracula Christi , ejus mortem & resurrectionem nuntiasse, indeque Tiberium tentasse Christi Apotheosim.

*Christi Apo-
theosis.*

LXXI. Mortuam & revera pro conditione carnis arbitror D. Virginem : num Hierosolymis , num Ephesi , haereo ; itemque de anno mortis , & vitae suae : Caeterum post placidissimam mortem beatissimam Christi Matrem una-cum corpore statim reviviscente in Coelum fuisse assumptam , communi Ecclesiae consensione adfirmo.

*Dei Matris
Assumpta.*

NOVAE LEGIS SACRAMENTA.

I. **C**onverto nunc stylum ad sublimia, & sacratissima aquae, & sanguinis, quae ex vulnerato Christi latere promanarunt, pertractanda mysteria. Ex eodem divino latere aedificatam Ecclesiam, & exisse Sacramenta, tradit pluribus in locis columnen, praesidiumque meum Aug. At cum haeretici homines, vel in tractandorum limine infestare nos pergant, Sacramenti nomen procul eliminare tentantes, *signi*, vel *simboli* vocabulo substituto, illud nomen in Ecclesia jure, meritoque retineri venit principio statuendum.

II. Saepenumero Sacramenti vocabulum ad plura significanda; usurpatur; propriè nos illud accipimus pro signo rei sacrae, gratiae praesertim spiritualis, atque invisibilis.

III. Diversas, verbis tenus, Sacramenti definitiones à Catholicis tradi solitas optimas judico: falsas vero, ac nugatorias, quas proprio Marte Novatores compingunt.

IV. Ergo Sacramentum signum est quoddam ad placitum, practicum quoque, sacrum, stabile etiam, ac permanens.

V. Mihi profecto errare videntur viri doctissimi juxta, ac eruditissimi Cano, atque Bellarminus, dum asserunt Sacramenta signa esse sanctitatis legalis, non perfectae per gratiam sanctificantem.

VI. Rebus sensibilibus perficiebantur antiquae legis Sacramenta, perficiuntur & novae, idque eorum natura, quatenus homini est adcomodata, exquirat.

VII. Lotio pedum quibusdam in Ecclesiis fuit in usu, dum conferretur baptismus; ergo erit Sacramentum, aut ad Sacramentum baptismi essentialiter pertinebit? Nugae.

VIII. Christus Dominus immediatè omnia legis novae Sacramenta instituit; haecque positio adeò est certa, ut eam negare non periculosum modo, verum & erroneum sit.

R

Non

IX. Non est tamen tamquam dogma Fidei à Tridentina Synodo definitum, Sacramenta omnia esse à Christo immediatè instituta.

X. Potestas excellentiae ad institutionem Sacramentorum, tametsi nequeat ea ratione creaturis communicari, qua competit Salvatore, potest tamen.

XI. Partes, quibus perficiuntur Sacramenta, pervulgata Scholarum consuetudine *materiam*, & *formam* adpellamus, quarum vocum usum ante annum M.CC. in Ecclesia non valuisse, nullus dubitat.

XII. Partes eas dico & intrinsecas, & essentielles Sacramentorum; non tamen habent cum principiis rerum corporalium aequabilem analogiam.

XIII. At novit Ecclesia *materiam*, & *formam* Sacramentorum immutare, non esse penes ejus potestatem.

XIV. Res, & verba in Sacramentis novae legis à Christo fuerunt praescripta, debueruntque praescribi.

XV. In conficiendis Sacramentis uti materia, aut forma tantum probabili, certa, vel tutiori relicta, nefas est; ni extrema urgeat necessitas.

XVI. Sacramentum irritum manet, si in materia, aut forma mutatio contingat substantialis; secus si accidentalis tantummodo elementi, verborumque substantiam integram relinquendo.

XVII. Conditionalem formam ad octavi usque saeculi adolescentiam incomptam, quo vertente saeculo alicui obtinuisse, communiter tamen in Occidentali Ecclesia receptam saeculo XIII. sedente Rom. Pontifice Gregorio IX. tradunt Theologi non infimi subsellii.

XVIII. Ergo ob moralem de invaliditate Sacramenti certitudinem, post diligentem accuratissimamque rei inquisitionem, fas uti est forma conditionali. Levi pulsante dubio, nefas.

XIX. Sacrilegii reus est, qui substantialiter immutat verba sacramentalia; neque à gravi reatu erit immunis, qui formam Sacramentorum accidentali tantum mutatione corrumpit, nisi ignorantia laboret ineluctabili. Ille item gravissimè delinquit, qui nulla adactus necessitate repetit verba sacramentalia.

XX. In eo felicitatis statu, dum brevi originalem justitiam in Paradiso Voluptatis Adam servavit, non extiterunt Sacramenta, nec extitissent umquam, diu etsi perseverasset.

XXI. In lege, quam naturae dicimus, aliquod pro parvulis gratiae signaculum, & Sacramentum extare debuit, extititque. Idem tene de Adultis.

XXII. Extra litem, reor, positum, in lege scripta Sacramenta extitisse aliqua, & quidem à Deo instituta.

XXIII. In nova lege fuisse instituta Sacramenta inficiatur nullus; si eos excipias, qui se solo interiori spiritu agi autumantes, vi-
si-

sibilibus signis nullis utuntur.

XXIV. Veteris legis Sacramenta non habebant vim ex opere operato causandi gratiam.

XXV. Circumcisio gratiam conferebat parvulis ex opere operato quidem, sed ut ajunt, passive tantum.

XXVI. Sacramenta, quae justificationis instrumenta, & gratiae sunt, vere hanc physice causant, non tantum moraliter.

XXVII. Baptismus, & Poenitentia, quae vulgari sermone sacramenta *mortuorum* dicuntur, primam per se conferunt gratiam: caetera; quae *vivorum* adpellantur, causant secundam.

XXVIII. Sed & *mortuorum* Sacramenta secundam, & *vivorum* primam gratiam ex accidenti aliquando producant.

XXIX. Quae specie differunt Sacramenta ex se inaequalem conferunt gratiam: aequalem quae solo numero sunt distincta. Attenta tamen suscipientium dispositione, quo haec fuerit perfectior, major gratia causatur, vel ab eodem specie Sacramento.

XXX. Ad primum Sacramenti *mortuorum* percipiendum effectum, attritio supernaturalis actualis, vel virtualis requiritur pro adultis, modo aliquod saltem charitatis initium intercedat.

XXXI. Ad *vivorum* autem praecipuum effectum, status sufficit gratiae.

XXXII. Gratia sacramentalis ab habituali gratia non est entitate diversa, aliquid tamen super eam addit.

XXXIII. Immani nos verborum procacitate proscindunt haeretici splendidissime mentientes, dum nos, affirmant, dicere Sacramenta ex se gratiam causare nullo requisito bono motu utentium, fide nulla, ac dispositione nec minima. Quid? & Aspernanda ne erunt verba illa *opus operatum*, quae *profana*, ac *barbara* clamitant Sectarii? Minime: non enim primum intrussa, dum Lutherus, & Calvinus ad infestandam Ecclesiam eruperunt.

XXXIV. Solus viator homo ordinarius est Sacramentorum minister. Extraordinaria tamen potestate possunt Sancti Angeli, & in coelo regnantes beati Sacramenta conficere.

XXXV. Minister Solemnitatis lethalis culpae sibi conscius, etsi valide Sacramenta conficiat, impie, & illicite eadem conficit, atque administrat. Idem esto iudicium de aliis Sacrorum Ministris, Diaconis praesertim. Etiam Divini Verbi concionatores, si publico illi notentur vitio, graviter delinquere pronuntio.

XXXVI. Minister, quem gravi sceleris conscientia gravat, ut à peccato indignae tractationis sit immunis, non tenetur confessionem praemittere sacramentis conficiendis, aut distribuendis, si ei Confessarii copia non sit: tamen non sufficit attritio, sed necessaria est contritio, prudenter saltem existimata. De Eucharistia nolumus hic habere sermonem.

Pro-

XXXVII. Probarem hominis consilium , qui extra necessitatis casum impium non adit Sacerdotem : in casu vero necessitatis licite à quocumque Ministro recipitur Baptismus , & Poenitentia.

XXXVIII. Extra mortis periculum , si tamen juxta adsit causa , & facile alius haud potest haberi Minister , poterit quilibet pessimum ministrum convenire , sive Parochus ille sit , sive non.

XXXIX. Nullum , & irritum futurum est Sacramentum , si in Ministro sit sola intentio faciendi ritum externum , geratque ille in animo suo latentem deliberationem non faciendi rem sacram , ut fieri solet in Ecclesia Dei etiamsi materiam adhibeat , & formam proferat , & contraria deliberatio nulla externa irrisione se prodat.

XL. Ut Sacramentum validum , ratumque sit necesse non est , ut minister intendat illius effectum , vel habeat in animo illud peragere , quod solemni ritu fit in Ecclesia Romana ; seu explicate credat esse ritum illum re sacram , ac salutiferum ; sed sat est id proponat facere , quod in Christi Ecclesia perficitur , qualiscumque ea sit , & qualiacumque ejus sint mysteria.

XLI. Actualis intentio omnium optima , necessaria non est ad Sacramenti valorem : sufficit virtualis : habitualis , & interpretativa non item. At de conditionata certis , servatisque regulis proferendum est judicium.

XLII. Sacramenta pro solis hominibus viatoribus sunt instituta : illi ergo tantum ordinarium sunt eorum subjectum.

XLIII. In adultis Sacramenta suscipientibus , si Eucharistiam demas , necessaria est ad illorum integritatem intentio interna ea suscipiendi , seu rem in Ecclesia sacram , & quam illa solet conferre.

XLIV. Occulto peccatori occulte poscenti , publico item , sive clam , sive in aperto petat , extra mortis discrimen , neganda sunt Sacramenta : Poenitentiam tamen excipimus , & Matrimonium nonnunquam.

XLV. Ecclesia ceremonias instituendo jure suo minime est abusa , illasque recte , prudenterque praescripsit , ac praescribere potuit.

XLVI. Praescriptae caeremoniae sedulo veniunt observandae ; ea propter nequeunt illae haberi despiciatui , aut pro libitu omitti , seu in alias per quemcumque Ecclesiae Pastorem commutari.

XLVII. Institutae caeremoniae sunt non ob Ministrorum tantum commodum , non tantum ob divini cultus decorem , sed ob mysticam praecipue , ac symbolicam significationem.

XLVIII. Quae Sacramentalia dicuntur levia non abstergunt peccata ex opere operato , sed ex operantis opere tantum , ac per modum impetrationis cujusdam.

SACRUM BAPTISMA.

- I. **F**ELIX *Sacramentum aquae nostrae* jure meritoque Baptismum adpellat Tertullianus, cujus praestantia, necessitas, effectus, utilitas, ab ipsa rerum creatarum origine praenunciata fuere; nec elementum est ullum, quod amplioribus divinorum beneficiorum symbolis fuerit cumulatam. Hoc itaque Sacramentum, quo renascimur, abluimur, divini Spiritus participatione donamur, & de antiqua peccati propagine in novam transimus generationem, facti nova creatura, novumque figmentum, definire fas erit: *Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo*. Rejiciendae ergo quas Baptismatis definitiones tradunt haeretici.
- II. Sacramentum hoc institutum à Christo ante suam Passionem judico; & quidem dum in Jordane fuit baptizatus.
- III. Praeceptum tamen illud suscipiendi non obstrinxit quemquam ante Christi passionem, & resurrectionem, ea tamen peracta, statim.
- IV. A Priscis Ecclesiae soeculis obtinuit consuetudo baptizandi per immersionem, & quidem trinam: non tamen triina haec mersio ita communiter recepta fuit ad soeculum usque XIII. ut probatus aliquando non fuerit baptismus, aut infusione, aut unica mersione collatus. Teneat unusquisque nunc ejus in qua versatur Ecclesiae consuetudinem.
- V. Non ergo trina sive immersio, sive infusio, sive aspersio de necessitate est Sacramenti, fuit tamen praecepti.
- VI. Requiritur ad validitatem baptismi verbum, quo exprimitur actus baptizantis, scilicet *baptizo*, sive *baptizatur*, sive aliud aequivalens: alias collatus nullus existit.
- VII. Non valet baptismus absque expressa Sanctae Trinitatis invocatione collatus, quamquam in Sacratissimo Christi nomine ille conferatur.
- VIII. Nec ab Apostolis absque invocatione expressa Trinitatis fuit baptismus collatus. Thesim hanc etsi certam valideque communiam existimo, nullam tamen contrariae censoriam notam inuro, quin probabilem judico, & contra eam ducta argumenta expendam, diluam, declinabo.
- IX. Si dubium rationabile aliquod irrepserit de valore baptismi, fas est ipsum adhibita conditione iterare, inani dubio agitatus, nefas.
- X. Jus Baptizandi solemniter Episcopis principaliter datum est, deinde Praesbyteris id commissum. At Diaconi non nisi ex delegatione posunt solemniter Baptismum administrare. Abeant ergo Mar-

cionitae , Pepuziani , & Collyridiani ineptissimi hoc munere feminas honestantes.

XI. Licitum non est baptizare pueros infidelium , qui Christiano Principi non serviliter , & tamquam mancipia subjiciuntur , ipsorum parentibus invitis , & reluctantibus ; casibus , qui adducentur , exceptis.

XII. Baptismus matris , aut signum aliquod ei applicatum , non pertingens ad abluendum puerum , quem gestat in utero , ad hunc regenerandum nequaquam sufficit.

XIII. Nequit infans in utero matris ante aperitionem partus per Baptismi Sacramentum regenerari.

XIV. Etiam si initio puerperii aperiatur uteri ostium , & infans possit per siphunculum , aut clysterem aqua perfundi : attamen nisi secundum aliquam corpusculi partem sit egressus ex alvo , baptizari non debet.

XV. Pervenerunt ad baptismatis gratiam permulti adulta jam aetate : Fateor : At quis tam hebes erit ingenio , ut adversus Ecclesiae praxim aliquorum obtendat exempla ? Illicet ergo in adultam usque aetatem baptisma differre.

XVI. Diversis gradibus conscendebant ad baptismum Cathecumeni , *Audientium* scilicet , *Competentium* , & *Electorum*. Quid ipsorum in singulis statibus esset , narrabo.

XVII. § At illos quis non rideat , qui mortuos , vel pro mortuis viventes baptizabant ? Rideo & haereticos eorumque gerras adversus aeris Campani , ut ita loquar , baptizationem.

XVIII. Acturus postremo loco de caeremoniis solemnibus Baptismi , illas primum , quae in desuetudinem abierunt , brevi oratione complectar. De his autem , quae etiam nunc obtinent , ut de susceptoribus parvulorum , seu patrinis , de nomine baptizandis imponendo , abrenuntiatione Satanae , exorcismis , ex-sufflationibus , de signo crucis , manus impositione , sale , oleo Cathecumenorum , & saliva , de unctione chrismatis , linteolo albo , & candela accensa plura dicam , earumque mysticas significationes exponam. Nam haereticorum circa earum antiquitatem stultitiam § cur prodam ?

Circumcisio.

XIX. Quamquam usas Circumcisione gentes negare non ausim , hac tamen omnium primum usum Abrahamum certa argumenta comonstrant : quinimo , quotquot mortalium Circumcisionem recepere , vel Abrahami sunt ex posteritate , vel ab hac edocti.

XX. Negari non potest , quin Circumcisio fuerit data in signum distinctivum seminis Abrahae à reliquis mundi gentibus.

XXI. § Ergo ad hoc , & amplius ad nihil ? Alucinaris. Tradit quippe Augustinus institutam quoque ad peccatum originale delendum.

XXII. Atque haec quidem à se ipso non loquitur Ecclesiae irre-

re-

71

refragabile jubar , sed ex Scripturis haurit , & PP. antiquioribus
? Mirum ergo ne quod PP. posteriores , illustrioresque Scholastici
hanc sententiam exceperint ?

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

I. **C**onfirmationem , quam non uno nomine veteres adpellitarunt , hac aut aequivalenti definitione Theologi plerique circumscribunt : *Sacramentum novae legis , quo baptizatis Spiritus S. robur , & firmitudo confertur , ut Christianam fidem firmiter teneant , animoque invicto confiteantur.* Amplector hanc & ego lubentissimè.

II. Sacramentum istud à Christo fuisse institutum Catholicorum nemini licet in dubium revocare. Si institutionis tempus quaeras , ignorationem meam fateri non gravabor. At cum conjecturae sit locus , id arbitror contigisse eo temporis intervallo , quo Christus à mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apostolis permansit loquens de regno Dei.

III. Est Sacramenti hujus essentialis materia manus impositio , est & Chrismatis unctio ; ergo in utroque ea constituitur.

IV. Ad Chrisma conficiendum opus est primum oleo olivarum , deinde balsami admixtione ; hisque adhaereo , qui hanc balsami permixtionem necessariam putant ad Sacramenti validitatem.

V. Jus , ordinarium saltem Chrisma conficiendi ad Episcopos attinet ; at ? necessaria ne est hujusmodi consecratio ad essentiam Sacramenti ? Malo quidem litem sub iudice relinquere , quam levi ratiocinio thesim astruere subito corruendam.

VI. Oratio Episcopi unctionem praecedens , non est Sacramenti Confirmationis forma , sive totalis , sive partialis , ut recentiorum Theologorum tenent complures.

VII. Verba ergo quae Chrismatis committantur inunctionem *Signo te* , &c. tametsi accidentariam aliquam variationem subierunt , sunt apud Latinos vera , propria & adaequata Confirmationis forma. Quod autem eam veteri communiter silentio praetermiserint id ego arcani disciplinae , puto tribuendum.

VIII. Graecorum forma , & ea quidem legitima , ac valida , est , *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

IX. Potest ab Apostolica Sede confirmandi facultas etiam Presbyteris concedi Episcopali caractere non insignitis.

X. Ut valide possit simplex Presbyter confirmare , necessaria est in Ecclesia Occidentali S. Pontificis delegatio ; in Orientali autem perantiqua , & universim recepta consuetudo , quam idem Romanus Pontifex aut approbet , aut permittat.

XI. Homines cuncti , sacro baptismo initiati dum sint , idonei sunt

sunt ad Confirmationis recipiendum characterem , infantiam licet nondum exuerint , sintque parvuli.

XII. AEgroti quoque , amentes , sontici , seu energumeni , quibusdam tamen servatis , sacro chrismate sunt inungendi.

XIII. Quod si adulta jam aetate ad hoc Sacramentum pervenerint , gratia ornati sint oportet , orationi vacent , accedantque jejuni.

XIV. Non esse hoc Sacramentum ad salutem necessarium , ea necessitate , quam dicunt medii extra controversiam positum est : At est praecepti vel in re , vel in voto , iis , qui vel coram Tyranno profiteri fidem tenentur , vel adversus Christianam fidem crebris , gravibusque tentationibus exagitantur , vel cum ineant pro fide certamina , hanc pessumdandi periculis jactantur.

XV. Teneo item quod Theologi omnes , excepto nemine affirmant peccare mortaliter quotquot saluberrimum hoc Sacramentum habent contemptui.

XVI. Verum ? quisnam Confirmationem contempsisse dicendus est ? Arbitror non eum modo , qui spernit , & tanquam inutilem caeremoniam habet , quod redolet sacrilegii crimen , haeresisque portentum , verum & illum , qui nullo legitimo detentus impedimento , Episcopo praesente , hortante item negligit consignari. Quos ergo oporteat , non solum , non negligere verum , & dare operam ut confirmentur , si valeant Episcopum adire : Dicam paucis.

XVII. Nunquam haereticis resipiscentibus Confirmationis Sacramentum primam confert gratiam , nisi poenitentia , aut contritione prius disponantur , quidquid sibi persuaserit eximiae eruditionis vir Morinus. Idem tenendum de peccatore baptismo renato , quem patrati criminis conscientia pupugerit.

XVIII. Cave vero putes , ritum , quo olim haeretici recipiebantur in Ecclesiam propriam esse Sacramenti Confirmationis iterationem.

XIX. In Chrismatis consecratione recte observantur , quos ritus Romana praescribit Ecclesia.

XX. Adhibentur in Confirmatione Patrini , inunctio frontis , quae ex vetusta consuetudine linea vita circumligatur ; levi etiam alapa caeditur confirmandus. Videbis quorsum singula colliment.

MYSTERIUM MAXIMUM EUCHARISTIA.

I. **N**ihil Eucharistia à nobis potest excogitari sublimius , nihil difficilius investigari , nihil utilius , aut mentis contemplatione , aut eloquio sermonis attingi. Nec vero id conanti praestigiae haereticorum hominum sunt nimium pertimescendae ; si quidem adversus eos , qui nos tribulant , & lacesunt , haec mensa parata est ; & ex illa , dummodo non accedamus indigni , surgi-
mus

mus hostibus formidabiliores. Est ergo Eucharistia Sacramentum, in quo sub panis, vini que speciebus Christi Corpus, & Sanguis continentur, ad spiritualem animarum nostrarum refectionem.

II. Quamquam valide & in azymo, & in fermentato pane Eucharistia conficiatur, viguit tamen in Romana Ecclesia ab Apostolorum aetate ad hanc usque azymi usus.

III. Nec aliud erat, quod ad titulos olim, seu ad Ecclesias dirigebatur *Fermentum*, quam Eucharistia pane azymo consecrata.

IV. Azymi hi panes in Eucharistiam consecrandi debent esse exiles, & figura rotundi, ex antiqua Ecclesiae disciplina; valida tamen, cujusvis sint quantitatis dummodo praesentis, atque sensibilis, sunt Consecrationis materia.

V. Licet incertum sit prorsus à quo tempore invaluerit apud Graecos fermenti usus, fateri non gravabor obtinuisse ante Photianum schisma.

VI. Illorum tamen Graecorum imperitiam mirari non sufficio, qui vitio vertunt Romanae Ecclesiae, quod in azymo consecret, & id tanquam unam ex separationis causis perperam producant.

VII. Quasi si ratione pugnandum foret, facile non commonstrassent Latini majorem sui ritus convenientiam: at sumus in hoc Graecis prudentiores, quoniam eos, qui consecrant fermentatum non damnamus, ineptasque calumnias summa charitate repellimus.

VIII. Falluntur qui censent Graecis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus, fas esse consecrare azymum, & è contra Latinis apud Graecos fermentatum.

IX. Vino consecrando modicum naturalis aquae perantiqua traditione, & Ecclesiae praecepto debet infundi.

X. Commixtio haec non est de necessitate Sacramenti, sed praecepti tantum, non tamen Divini, sed Ecclesiastici.

XI. Transit permixta vino aqua in Sanguinem Christi: mediatè, an immediatè res est prorsus incerta.

XII. Valide una species sine alia consecratur; illicit tamen, idque jure divino.

XIII. Christus Eucharistiam instituens usus est verbis, quamvis ea adhibuisse, nullo Ecclesiae decreto definitum adparet.

XIV. Ea dumtaxat verba, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est Calix Sanguinis mei*, aut *Hic est Sanguis meus*, Consecrationi essentialia sunt; omne tamen studium adhibendum, ne caetera praetermittantur.

XV. Non est Eucharistia omnibus prorsus, sive adultis, sive parvulis, ita ad salutem necessaria, ut nullus omnino possit sine illa salutem consequi.

XVI. Obstringuntur tamen adulti praecepto divino ad sacramentalem communionem; praecepto vero Ecclesiastico tenentur semel

T

in

in anno recurrente solemnitate Paschali.

XVII. At praecepto huic haud quaquam satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.

XVIII. Nullus Catholicorum negat quod ab Ecclesiae primordiis ad saeculum usque duodecimum, laici passim sub duplici specie communicaverint. Sed id neque divinum exigit praeceptum, nec salutis necessitas.

XIX. In Ecclesia Occidentali, etiam ante XII. saeculum Eucharistia frequentissime sumebatur sub unica specie panis.

XX. Hic autem usus & in Orientali Ecclesia viguit aliquando.

XXI. Revera sub utraque specie totus, integerque est Christus.

XXII. Sequitur inde, communicanti sub utraque specie non conferri ampliore gratiam; quam communicanti sub unica conferatur.

XXIII. Jure igitur optimo, atque omni aequitate non Sacerdotibus usus Calicis est sublatus; nec sic rebus stantibus expedit ut iterum permittatur.

XXIV. Sacramentalis communio deneganda est non baptizatis, peccatoribus publicis, pueris itidem, & iis qui rationis compotes numquam fuere, quibusdam pariter, at non omnibus Energumenis; exhibenda vero est extremo, & publico afficiendis supplicio, item poenitentibus, quantumvis fuerint scelestissimi in mortis articulo constitutis; nequaquam autem ori ingerenda est mortuorum.

XXV. Ad Sacram Communionem accessuri debent esse corpore animoque dispositi; atque inter corporis dispositiones haec recensentur jejunium, carnis mundities, cultusque honestatem praeseferens, ad animum spectant status gratiae, fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum exercitatio.

XXVI. Frequentem ego communionem plurimum probo, si patrum, & prudentum virorum serventur documenta.

XXVII. Ritus sacramentalis communionis gravissimi sunt, ac probatissimi, idque demonstrabo. Peculiaris item ille ritus, quo S. Pontifex communionem percipit, dum sacra solemniter operatur, mystica non caret significatione, quam mihi videor attigisse.

De Sacrificio Missae.

XXVIII. Plura sunt vocabula, quibus tum Latini, tum Graeci Missae Sacrificium designant. Sunt etiam Missarum varia genera, de quorum ego singulis, sicut & de loco ad celebrandum idoneò multus ero. Ut vero haec loca pro sacrificiis, & pro fidelium conventibus erecta Deo ab Episcopis consecratione dedicentur, multiplex ratio suadet; & si polluantur debent juxta canonum praescripta purgari. Spectant insuper ad sacrificii locum altaria, horumque ornatus.

XXIX. Sacrum celebrantes, sacris uti debent indumentis, nec non instrumentis ad id paratis. Tempus quoque opportunum est attendendum, ac semel tantum in die Missas agere fas est cuilibet Sacerdoti.

POE-

POENITENTIAE VIRTUS , ET SACRAMENTUM.

- I. **C**UM duplex in poenitentiae nomine significatio sit , & virtutis , & Sacramenti , disseramus nunc oportet de ea qua virtus est , multum , ipsi , qua est Sacramentum , sermonem reservantes. Atque ut à facillimis ordiamur , Poenitentiae nomen à *pena* derivari , nemo est , qui possit ambigere. Est ergo haec ejus tenenda notio. *Virtus qua commissa à nobis scelera detestantur , ac praemissa certa , firmaque deliberatione pravas consuetudines , corruptosque mores emendandi , eadem scelera sponte vindicamus , in compensationem injuriae Deo illatae.*
- II. Poenitentia propriè virtus est , eaque specialis , & infusa.
- III. Sacramenti Poenitentiae materia remota peccata sunt omnia post baptismum commissa , ut detestanda , ac destruenda. Actus autem poenitentis contritio , confessio , & satisfactio propriè sunt materia ejus proxima , seu materiales partes , quibus intrinsece componitur.
- IV. Atqui neque manus impositionem , jubent Scriptura , & Traditio hujus Sacramenti materiam agnoscere.
- V. Apertè non evincitur viguisse olim sive apud Latinos , sive apud Graecos *formam* sacramentalis absolutionis deprecativam , qua , etsi detur obtinuisse , longe congruentior est , & ad potestatem clavium significandam illa aptior quam adhibet approbatque Romana Ecclesia. Imò hanc judico tantum validam , deprecativam autem probabilius nullam.
- VI. Videntur tantum ea verba *absolvo te* , ad formae essentiam pertinere.
- VII. Nequit per poenitentiam peccatum unum mortale expiari , alio non remisso.
- VIII. Peccata per poenitentiam remissa minimè per subsequentem culpam redeunt , nisi , ut inquit Theologi secundum quid.
- IX. Restituta homini gratia justificationis , atque Dei amicitia rursus per poenitentiam instaurata , reviviscunt bona opera peccato mortificata.
- X. Contritio , quae in tribus poenitentiae partibus priorem habet locum , rectè definitur à Tridentinis PP. *Animi dolor , ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.*
- XI. Ad eam requiritur odium , detestatioque peccati ac melioris vitae propositum , necnon ut interna sit , vera supernaturalis , atque ad patrata omnia scelera sese extendens.
- XII. Necessaria item est necessitate nedum medii , sed & praeccepti , tum naturalis , tum divini positivi , tum Ecclesiastici.
- XIII. Illius ego probarem consilium , qui peccatori consulet statim

Contritio.

tim post peccatum conteri ; at praeceptum contritionis obligans per se statim , ac peccatum commissum est , invenies nullum : neque statim ac memoriae occurrit : dicam vero sub gravi teneri quemlibet ad nimium tempus illius non differre adimpletionem.

XIV. Attritionem , seu dolorem de peccatis ex solo gehennae metu , sine Dei amore ullo benevolo , bonum judico , honestum , & utilem.

XV. Jam si ad gratiam in hoc Sacramento obtinendam contritionem requirerem charitate perfectam , quae hominem Deo reconciliet , priusquam actu suscipiatur Sacramentum , nihil profecto dicerem , quod à doctis plerisque probatissimis viris non fuerit traditum ; tamen non id dico. Si amplectar sententiam propugnante necessitate amoris initialis , non quidem per se justificantis ad fructum hujus Sacramenti percipiendum , tibi forsitan non probatam , at catholicissimam sententiam tenebo , toto coelo ab haeretico dogmate distantem , sacris litteris Patribus , rationibus , verum & ipsi Tridentino conformem , ac Theologorum plurium , ex illorum etiam numero , qui ei adversantur auctoritate fulctam , Tenebo ergo ? Et indubitanter , & mordicus. Nec ignorare te velim , non me valide opprimi immani adversariorum multitudine , quae quantacumque sit , sententiam tamen suam supra probabilitatis lineas nec pilo effert. At tot forte adversarios non habeo , quot tibi videbitur.

XVI. Equidem firmissime teneo Tridentinum Concilium pro sententia attritionis servilis , ab omni prorsus charitate divulsae , sufficientiam propugnante decretum non tullisse ; non tamen is sum qui putem eam anathema subisse in sancta synodo. Absit enim ut in hoc loco adversariis nostris haereticae labis notam impingam. Quare Cl. Morinus ita sentiat , ipse videat. Compertum est mihi verò ea , quae reponent servilis attritionis Patroni , ut Morini frangant aculeos , eadem omnia sententiam nostram catholicam , atque è diametro haeticis oppositam demonstrare.

Confessio.

XVII. Altera poenitentiae pars , Sacramentalis est confessio cujus en rectam definitionem : *Acusatio legitima peccatorum facta Sacerdoti competenti ad veniam virtute clavium* obtinendam.

XVIII. Priscis Ecclesiae saeculis , ob doloris vehementiam , caeterorumque aedificationem fidelium nonnulli publice sua enuntiabant peccata ; atque illorum probabilis est opinio , qui censent , aliquando Ecclesiarum Antistites praecepisse poenitentibus , ut publicorum peccatorum publicam ederent confessionem.

XIX. Nulla lege divina , vel Ecclesiastica unquam statutum fuit , ut peccata oclulta publicè in confessione proferrentur. Sic ergo res se habebat : (& impiae in posterum haeticorum linguae conticescant) confessioni , & poenitentiae publicae praemittebatur se-
cre-

creta peccatorum confessio , qua audita Sacerdos poenitentiam imponebat , & hortabatur confessum , ut poenitentiae insistens aliquod peccatum palam enuntiaret ; summa hic adhibebatur prudentia , ne unde fidelium aedificatio , inde scandalum oriretur : non ergo Sacramentalis confessio ex publica poenitentia , publicave aliquorum peccatorum confessione duxit exordium ; quin contra publica poenitentia , & publica delictorum quorundam acusatio , ex praemissa Sacramentali , & ea quidem secreta confessione derivavit.

XX. Fuerunt , qui per litteras commissa sua scelera confessi sunt ; at haec non est confessio Sacramentalis licita , nec valida cui proinde absolutio possit impendi ; atque etiam ante Clementis VIII. definitionem divino jure irrita erat ac nulla. Aliter judicandum puto de facta per nutus confessione , dum loquendi adsit impedimentum.

XXI. Jure utroque & divino , & Ecclesiastico tenentur ad confessionem quicumque post baptismum lethali macula conscientiam foedarunt , infideles autem , atque ex fidelibus ii , qui veniali tantum culpa sunt adstricti , nullo ad confessionem tenentur jure.

XXII. Atque circumstantias illas , quae peccatorum mutant species confiteri necessarium est ; illas autem quae plurimum peccatum adaugent , specie non variata aequum judico.

XXIII. Peccata dubia , quae talia apparent prudenti , ac rationabili causa , aperienda esse in confessione , firmissime teneo , tueorque.

XXIV. Non debet dividi peccatorum confessio , adeo ut quaedam uni , quaedam alteri Sacerdoti enuntientur.

XXV. Omnes , qui confessionem audiunt ad sigillum tenentur naturali , divino , & Ecclesiastico jure.

XXVI. Capere non valeo , non sufficio , qui possit valida esse confessio , quantum ad Sacramenti substantiam , dum sit , ut dicitur , informis.

XXVII. *Exomologesis* , de qua in Epis. 12. S. Cyprianus , & reconciliatio in vitae discrimine data per Diaconum , non erant confessio , & absolutio Sacramentalis.

XXVIII. Permulti in vitae exitu , cum non haberent Sacerdotis copiam , confessionem fecerunt laicis , ad idque hortati sunt viri gravissimi : at confessio hujusmodi nec sacramentalis dici potest , nec necessaria ad salutem.

XXIX. Fuerunt etiam , qui pluribus simul Sacerdotibus peccata enuntiarunt ; sed neque id est alicujus necessitatis , sive praeccepti.

XXX. Necessaria est Sacerdoti ut aliquem valide absolvat , excepto mortis articulo , jurisdictionis potestas , & Episcopi adprobatio.

XXXI. At Sanctissimis Patribus nostris jure semper visum fuit, esse ad disciplinam magnopere necessarium *ut atrociora quaedam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolventur.*

XXXII. Opus est ut hujus Sacramenti Minister scientia rei agenda, peritia, atque sagacitate sit praeditus.

XXXIII. Extat item annuae confessionis Ecclesiae praeceptum, cui satisfit per confessionem cuique factam confessario adprobato, tametsi non sit Parochus.

XXXIV. At non adimpletur Ecclesiasticum confessionis praeceptum, per confessionem sacrilegam.

XXXV. Veteres dabant operam, ne certis anni temporibus confessio Sacramentalis omitteretur; atque laudabilis admodum est illorum consuetudo, qui semel in vita edere student generalem peccatorum suorum confessionem.

XXXVI. Inolita peccandi consuetudine implicati, extra imminetis mortis periculum absolutionis privandi sunt beneficio: itemque illi, qui proximas nolunt peccandi occasiones deserere.

XXXVII. At baptizatorum nemini, quamquam perditissimo, in exitu mortis reconciliationem petenti, atque absolutionem, haec potest negari.

XXXVIII. Haud secus de illis dicendum est, qui postquam confessarium petierunt, dederuntque poenitentiae signa Sacerdote adveniente, loquendi facultate, atque exteriori sensu penitus sunt destituti.

XXXIX. Quid vero agas probo, frugique viro, qui nullo poenitentiae praemisso signo, mortis circumvenitur angustiis, agitque animam? Absolutionem ipsi impende conditionate, nihilque time.

Vetus disciplina.

XL. Ut de veteri disciplina non nihil dicam, constat quod ab Apostolorum tempore usque ad aetatem Tertuliani peccatis omnibus remissio, & venia concessa est.

XLI. Tamen circa hujus tempora non nulli maechis negabant absolutionem: at non erat haec Catholicarum Ecclesiarum communis consuetudo.

XLII. Decreto itaque Zepherini non relaxatus est circa maechiam antiquioris disciplinae rigor, sed repressa potius est disciplina illa durior circa Tertuliani aetatem invecta, quae adversus perantiquam institutionem maechis poenitentiam agentibus reconciliationem negabant, & pacem.

Satisfactio. XLIII. Ad tertiam tandem poenitentiae partem pervenimus *Satisfactionem* scilicet, sic optimae definitam: *Compensatio injuriae Deo illatae secundum justitiae aequalitatem*; cave tamen strictam intelligas.

XLIV. Potest & debet Sacerdos confessis poenas satisfactorias in-

injungere , non utique ad merum Ecclesiae exemplum , aliorumque aedificationem , verum etiam ad redimendum peccata , ad satisfaciendum Deo , & illatas ipsi injurias compensandas.

XLV. Atque in id primum toto studio est Sacerdoti incumbendum , ut injuncta opera qualitati criminum viribusque poenitentium respondeant.

XLVI. Non est cogendus poenitens , ut satisfactionem ante absolutionem adimpleat , non enim est de Sacramenti substantia , ut satisfactio absolutionem praecedat.

XLVII. Indubitatum tamen est , à poenitente injunctam satisfactionem acceptandam , atque implendam esse : quidquid in contrarium scripserint aliqui.

XLVIII. Si autem injuncta sibi poenitentia patris sceleribus satisfaciendis longe sit impar , sponte aliam agat , aequum est.

XLIX. Animadvertere quoque poenitens debet , nequaquam à se satisfieri posse , quamdiu peccato lethali erit obstrictus , in ejusque affectu perseveret.

L. Insuper nemo propria auctoritate alteri potest committere , ut pro se injunctum satisfactionis opus exequatur.

LI. Equidem arbitror poenitentes torporem facilè excussuros , si demus operam , ut antiquos publicae poenitentiae gradus , exercitamenta , circumstantiasque sapiant , atque intelligant. Publicae ergo poenitentiae nomine ea designatur : *Quae olim in conspectu populi , & in Ecclesiae conventu agebatur.*

*Poenitentia
publica.*

LII. Certissime tenendum est , publicam poenitentiam Apostolicis quoque , & proximè subsequutis temporibus obtinuisse ; solemnem non item.

LIII. Grassante autem Novatiana haeresi obtinuerunt quatuor poenitentium gradus , seu stationes , *Fletus , Audientia , Subtractio , & Consistentia* , de quibus sicut & de modo poenitentiam imponendi , eamque peragendi nonnulla dicam.

LIV. Peccata omnino occulta nunquam vi Canonum poenitentiae publicae fuerunt obnoxia , sed ea tantum , quae aliquo saltem modo erant publica.

LV. Certum insuper est , non omnia peccata letalia publicis poenitentiis fuisse mulctata , sed atrociora tantum , praesertim idololatria , fornicatio , atque homicidium , aliaque , quae ad illa tanquam species referri possunt.

LVI. Ad illorum partes Theologorum accedo , quibus placet , nec tribus primis , nec subsequentibus saeculis clericos majores poenitentiae , de qua loquimur , fuisse subjectos.

LVII. Animadvertas quaeso , solemnem poenitentiam nunquam fuisse iterandam , in eaque non unam sed multiplicem fuisse manuum impositionem.

Ac

LVIII. Ac tandem reconciliatio ultima non erat reconciliatio cum Deo per sacramentalem absolutionem, quam suponebat, sed reconciliatio cum Ecclesia quoad oblationes, & participationem Eucharistiae.

LIX. Denique dum de congruo decentive pro excipiendis confessionibus loco, tempore, habitu, me audies disserentem, nihil erit, puto, quod in hoc tractatu desideres.

EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTUM.

I. **P**OST poenitentiam ad Extremae Unctionis Sacramentum tractandum accedo, quod recto ordine post poenitentiam locari, à Tridentino producta ratio suadet. Illud sequenti, aut consimili definitione explanatur: *Sacrum & mysticum signum à Christo institutum, quo per unctionem olei benedicti & orationem, seu formam praescriptam baptizatis aegrotantibus confertur gratia sanctificans, eosque confortans, ut aequo animo ferant morbi molestias, frangantque Daemonis insidias, & impetus necnon si illis expediat, liberentur ab infirmitate corporisque languore.*

II. Videtur Marci VI. mentionem fieri Unctionis infirmorum Sacramentalis; id tamen probabilitatis fines minime excedit.

III. Sacramentum hocce instituit Christus Dominus ac probabilius *immediatè*, & priusquam coelum conscenderet.

IV. Potest simplex Sacerdos oleum infirmorum auctoritate Apostolica, non autem ordinario jure, in Latina Ecclesia solemnibus benedictione consecrare.

V. At certum non est valere Sacramentum Extremae Unctionis oleo non consecrato collatum.

VI. Diversa circa partes corporis inungendas obtinuit transactis saeculis disciplina.

VII. Rectissime tamen Romana Ecclesia septem fieri solitas unctiones praescribit.

VIII. Jure meritoque, optimo consilio omittitur in foeminis renum unctio, nec tamen in umbilico ungendae sunt.

IX. Quod rituale Romanum advertendum praecipit, ut Sacerdotibus manus inungatur exterius, id etiam jure optimo statutum est.

X. Necessaria non est unctio illius partis corporis, in qua aeger vehementiori dolore excrucietur.

XI. Quamvis septem unctiones in Rituali Romano praescriptae praetermitti non debeant; ad Sacramenti tamen substantiam potest unctura una sufficere.

XII. Permultae unctiones ad unum referuntur Sacramentum constituendum.

Ut

XIII. Ut unctio fiat intincto Sacerdotis pollice, rectè praecipitur; verum neque ritum istum petit Sacramenti necessitas.

XIV. Theologorum sententia, quae tenet *formam* hujus Sacramenti olim fuisse expresam verbis indicativi modi, & consequenter etiam num *formam absolutam*, si adhiberetur, validam futuram fore, nulla censoria nota perstringi debet, ac magna probabilitate defenditur.

XV. Videtur tamen congruentior *forma* per modum deprecationis prolata cujusmodi est illa, quam in praesenti servant Latinorum Ecclesiae.

XVI. Diaconus, neque hujus Sacramenti est Minister, neque illi hoc ministerium fuit ab Ecclesia aliquando permissum, quidquid sibi persuaserit Launojus crasissimum errorem verbosissima loquacitate venditando.

XVII. Debet idem Sacerdos, qui sacro oleo inungit infirmos proferre verba, quae Sacramentalem formam constituunt.

XVIII. Gravi decumbentibus infirmitate, iisque adultis, Sacramentum hoc conferendum est.

XIX. Cujus autem effectus ii sunt: peccatorum remissio, reliquiarum peccati abstersio, prostrati animi alleviatio, & erectio, demum pristinae valetudinis, si animae expediat, restitutio.

XX. Nemo est unus, qui non asserat, hoc Sacramentum necessarium non esse necessitate illa, quam Theologi adpellant medii. Num autem necessitas sit aliqua sive divini, sive Ecclesiastici praeccepti sub lite est. Interim haec mihi sunt certissima: I. Maximum scelus, & sacrilegium esse unctionis extremae contemptum. II. Parochis sedulam curam dandam esse ne aegrotantium aliquis non munus hoc Sacramento decedat. III. Infirmos illos, qui confiteri nequeunt peccata, omni jure teneri ad hoc suscipiendum Sacramentum. IV. Itemque illos qui crebris tentationibus jactari solent in tutos ultimam cum Doemone luctam, debere omnino sese munire hujus Sacramenti virtute.

XXI. Num autem pestilentia grasante Parochi teneantur cum propria vitae periculo infirmis Extremam Unctionem administrare sub distinctione duxi respondendum.

XXII. Num Extrema Unctio praemittenda sit Viatico, an postponenda, parum refert, non illi ergo sunt redarguendi, qui rationabili causa permoti Viatico praemittunt unctionem; at optimè se illi gerunt, qui juxta Romanae Ecclesiae consuetudinem prius communionem dant infirmis, postea Sacramentum Unctionis ultimae.

XXIII. Si post susceptam hanc unctionem convaluerint infirmi, iterum hujus Sacramenti subsidio juvandi sunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.

SACRAE ORDINATIONES.

I. **O**rdinatio, perantiqua nimirum illa Ecclesiae caeremonia, qua Episcopi, aut impositione manuum, aut signo alio sensibili ad sacra ministeria obeunda aliquos deligunt, & initiant; ita à Tridentinis PP. elegantissime definitur: *Sacramentum novae legis à Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi corpus, & sanguinem ejus, necnon Sacerdotio ex officio deserviendi.*

II. Septem ab initio ad haec usque tempora ordines obtinuerunt in Ecclesia Latina, huncque septenarium numerum, nec quorundam aliorum recensio, nec dissidium Theologorum potest firma aliqua ratione subvertere.

III. Quanquam Clericalis Tonsura obtineat in Ecclesia ab Apostolorum aetate, institutaque sit, ut Clerici distinguerentur à Laicis, verus tamen ordo non est.

IV. Plausibilis est, Catholica, & etiam probabilis sententia, quae negat minores ordines esse vera ac propria Sacramenta: at mihi opposita semper fuit verisimilior.

V. Magna quoque probabilitate (non tamen constanti firmissimaque assertione) affirmo Hypodiaconatum proprium esse legis Evangelicae Sacramentum, Ordinemque Sacrum; at non Hierarchicum.

VI. Diaconatus quoque verum Sacramentum est, ordoque sacer, ac Hierarchicus. Cave tamen ne tibi antiqua Diaconissarum institutio fucum faciat, quibus sanè nullum Sacramentale munus demandatum est.

VII. Episcopatum esse Sacramentum, arbitror, & quidem à Presbyteratus Ordine distinctum. Atque si à tricis Scholasticis abstinere velimus, & quae certissima sunt à fluxibus, dubiisque opinionibus separare; nullum prorsus fore in hac quaestione dissidium suspicor.

VIII. Chorepiscopi *per se* quidem praesbyteri erant, aliquando tamen *per accidens* Episcopali fuerunt praediti consecratione.

IX. In assignanda materia & forma ordinum Hierarchicorum magnum est inter Scholasticos dissidium, numquam forte componendum, quamquam ab aliquibus concordiae ratio irritò sanè conatu fuerit tentata. Ast illorum ego adhaereo opinioni, qui duplicem in Ecclesia Latina statuunt materiam partialem in Diaconatu, & Presbyteratu, instrumentorum scilicet porrectionem cum impositione manuum; unicè hanc in Ecclesia Graeca agnoscentes.

X. Consuetudine ab Apostolis derivata, & Canonum auctoritate fulta, plurium Episcoporum praesentia necessaria est ad legitimitatem, & Canonicam electi ordinationem, ad ritus quoque solemnitatem, ad Pontificatus honorem, atque publicam Sacerdotii existima-

mationem : ad valorem autem non item.

XI. Debet unusquisque à proprio Episcopo ordinari , nec nisi ex ejus licentia ab alio potest licitè promoveri.

XII. Nec foemineus sexus , nec masculeus nondum baptisate regeneratus hujus Sacramenti sunt capaces.

XIII. Quaelibet aetas vel infantilis , ad ordinis characterem recipiendum sufficiens est.

XIV. Nequaquam subsistit ordo collatus homini invito penitus , ac reluctanti.

XV. In Occidentali Ecclesia Clerici omnes majorum ordinum , ab Episcopo ad Subdiaconum tenentur continentiam servare perpetuam , ita ut nec post ordinem susceptum Matrimonium contrahere valent , nec Matrimonio ante ordinem contracto uti.

XVI. Haec continentia ordini sacro , non naturali Jure , nec Divino , sed Ecclesiastico est annexa ; id rationabiliter , aequissime , ac convenienter factum Novatores unicè inficiantur velut injustam , tyranicam , Verbo Dei , ipsique naturae contrariam , hanc legem traducentes ; quippe qui libidinibus pasci , vescique amant.

XVII. Circa ordinandorum conditiones , haec sedulo notanda sunt ; vocatio , intentio , aetas , conditio , scientia , probitas morum , & ordinationis titulus. Attendenda insuper ordinationum tempora , locus , interstitia , ordinumque conferendorum series. Exigunt praeterea rectissimi Ecclesiastici ritus , ut ordinandis , praeter instrumenta in ordinum collatione adhibenda , sacra etiam indumenta imponantur. Tandem apud Latinos Presbyteris utraque manus sacro Catechumenorum oleo ; electis vero manus , & caput chrysmatae liniuntur. De ordine praeterea nihil.

SACRUM CONJUGIUM.

I. **M**atrimonii nomine non quaevis maris , foeminaeque commixtio intelligitur , sed illa tantum , qua gignendae , fovendaeque prolis causa vir , & mulier nexu indissolubili copulantur. Si ergo ut officium est naturae accipiatur , in hunc describitur modum : *Maris , ac foeminae maritalis conjunctio , inter legitimas personas individuum vitae societatem retinens* : quibus verbis si haec addas ; *& gratiam conjugibus conferendam significans* , Sacramenti habebitur natura.

II. Cadit Matrimonium ratione aliqua sub praecepto , non tamen ejus generis , quod quemquam in Lege Evangelica in particulari obliget.

III. Probabilis admodum est à pluribus Theologis propugnata sententia , quae adserit Matrimonium in ratione Sacramenti fuisse à Christo Domino institutum , cum nuptiis in Cana Galilaeae celebratis adfuit.

Ma-

IV. Materia hujus Sacramenti remota, sunt personae ipse diversi sexus, & nullis obstrictae impedimentis; proxima autem ipsorum verba, prout exprimunt traditionem mutuam corporum: forma sunt eadem, prout acceptionem traditionis manifestant.

V. Certissimum est non pertinere ad matrimonii substantiam, ut conjuges actu se mutuò cognoscant carnali commercio; imò nec necessaria est in eum consensio, ut validus sit contractus matrimonialis.

VI. Quamvis communiter loquendo graviter peccent filii, qui matrimonium contrahunt parentibus invitis poenitus ac reluctantibus; non potest tamen pater filium vel filiam ad matrimonium praeccepto cogere.

VII. Sine consensu parentum contractum matrimonium nec naturali jure, nec divino positivo irritum habetur, imò nec humano; ergo validum, ratum, ac legitimum.

VIII. Matrimonium inter absentes initum, modo praescriptae conditiones serventur, ratum, validumque est censendum, & in ratione contractus, & Sacramenti.

IX. Dum matrimonii Ministrum adsignare cogor in eorum sententiam nonnihil propendo, qui censent eum esse contrahentes ipsos. Contrariam opinionem plausibilem, fundatissimamque non inficior, eamque tenent viri omni laude majores Conci. Cano, &c.

X. Quamquam filii in Matrimonio occulta simulatione, & absque interiori animo contracto suscepti, tamquam legitimi habendi sint, Matrimonium tamen irritum, ac nullum est.

XI. Irritum item jure quidem positivo, non naturali est matrimonium contractum ex gravi metu à causa libera, & ad extorquendum consensum injuste illato.

XII. Praemittuntur Matrimonio Sponsalia, quae aliud nihil sunt, quam futurarum nuptiarum mutua promissio verbis, aut aequivalentibus signis expressa. De illis sicut & de proclamationibus publicis in circo verba facere nobis erit perjucundum.

XIII. Polygamia virilis, id est, plurium virorum cum una uxore Matrimonium inauditum, ac turpissimum scelus, & omni naturae juri contrarium foret.

XIV. Uxorum autem pluralitas finibus Matrimonii secundariis repugnat quidem ac primaevae item illius institutioni, & perfectioni adversatur.

XV. Antiqui Patres, qui post diluvium uxores plures duxerunt, à culpa reperiuntur immunes; polygamia quippe ex tunc licita fuit.

XVI. Matrimonium omne verum ac legitimum divino jure, consummatum vero naturae jure est indisolubile.

XVII. Probabilius existimo dissolvi olim Matrimonii vinculum per *libellum repudii*, fasque Judaeis fuisse cum alia contraere, repudiatæ.

taeque licuisse alteri , cui vellet nubere.

XVIII. Quamquam clandestinae nuptiae ante Tridentinum ratae fuerint , semper tamen illas Ecclesia Christi detestata est , tamquam omnis nequitiae fontem.

XIX. Potuit ergo Concilium Tridentinum nulla , & irrita declarare clandestina conjugia , ac talia declarando optime se gessit ; ideoque post hujus Concilii Sacrosancta decreta non solum hujusmodi connubia noxia , & illicita sunt , verum irrita prorsus , ac nulla.

XX. Difficillima foret , ac pene inextricabilis controversia de Matrimoniis , quae coram Magistratu absente Parocho , contrahuntur in Holanda , Zelanda , Frisia , aliisque foederatis Belgii Provinciis ; nisi maturo Concilio , maximopere in rem publicam Christianam studio controversiam ipsam componere , & diffinire curasset Pastor totius Ecclesiae vigilantissimus , omnisciaequae mentis vir Benedictus XIV. remanet nihilo secius catholicae conjugis cum haeretica conjunctio illicita prorsus , ac noxia.

XXI. Licet , expeditque aliquando , ut conjuges quoad torum separentur , conjugali foedere persistente , idque non nisi dum justae adsint causae eaeque à Judice Ecclesiastico finiendae. Quod si post divortium dimissa uxor ad meliorem redeat frugem , aequum est , & christianae charitati consentaneum , ut à viro in pristinam consuetudinem recipiatur. Atque ubi ad hujus Sacramenti ritus apulit oratio , ad peroptatum quoque finem de re Sacramentaria , est tractatio perducta.

H O M I N U M N O V I S S I M A .

I. **AE** Ternus Deus , ut liberalissimus Pater praemia paravit iis , qui christianam sapientiam , ut decet , usque in finem profiteamur , & ut aequissimus Judex iis , qui ab eadem sapientia defecerint , neque in hac vita poenitentiam egerint opportunam , poenas sano cuique maxime formidandas paravit post hanc vitam sive in Purgatorio , sive in Gehenna infligendas.

II. Communis opinio tenet , Purgatorii locum statui debere in visceribus terrae supra Reproborum carcerem , qui est omnium profundissimus.

Purgatorium.

III. Quamquam animae de propria futura salute certae sint , torquentur ibi , & poena damni , & poena sensus atrocissima , quam ab igne corporeo nasci putamus.

IV. Fictitia est illa naturalis beatitudo , quam benigniores quidam pollicentur infantibus sine baptismo naturae concedentibus.

V. Eosdem etiam cum originali reatu decedentes nullo dolore esse adificandos , assequi non sufficio.

VI. Pueri cum originali peccato morientes nullam patiuntur

Infernus.

Y

poe-

poenam sensus. Descendo in hanc sententiam lubentissimè , ut qui sciam Praeceptorum meo Angelico fuisse probatissimam. At video Augustinenses plurimos frontem in me rugasse ; sed immerito : nam eorum opinionem , uti munitissimam probo plurimum. Vis plura ? Tueor.

VII. Peccatum veniale , quamquam natura sua non mereatur poenam sempiternam , ut contendunt haeretici , ea tamen puniri potest in damnatis , ex eo quod conjunctum sit cum mortali in illo statu , ubi nulla erit culpae remissio : cum potius pertinax ad peccandum voluntas , seu obstinatio in peccato , perpetuo dominetur in damnatis , constanti odio in Deum vindicem eorum justissimum tamen inflammatis.

*Judicium
universale.*

VIII. Futuri locus Judicii vallis Josaphat fuit à Deo destinata.

IX. De forma ejus Judicii instituendi , ac signis , quae Mundi exitum praenuntiabunt , conspicua sunt , quae apud Evangelistas habentur : ubi nihil nos prohibet , ne ipsis accenseamus adventum Enochi , & Eliae , quos omnium est sententia , adhuc vitam mortalem ducere , proditurosque in consummatione saeculorum ab eo loco , in quo nunc servantur à Deo , ut contra eant Antichristo , mortemque oppetant splendidam , ad confirmandam sanguine proprio Christi doctrinam.

ECCLESIAE HISTORIA , AC PP. APOLOGIA.

CC. PP.

B. Paulus.

I. **A** Postolum Paulum consilium suscepisse in Hispanias proficiscendi , indubium est : num executioni mandaverit , sunt qui negant ; nefas tamen contra Patrum nubem hanc gloriam Hispaniensibus usurpare.

S. Jacobus.

II. Exploratum mihi est Jacobum Apostolum Christi fidem in Hispaniam asportasse : ea autem , quae in contrarium adducuntur argumenta , accuratè admodum infringit Henricus Flores Hispaniarum gloriae vindex strenuissimus.

*Primum
Ecclesiae
saeculum.
Symbolum
Apostolorum.
Sanc. Petrus.*

I. Symbolum , quod Apostolorum dicitur , ab ipsis est traditum , ipsorumque est genuinus foetus.

II. Sancti Petri Apostolorum Principis Romam adventum , quem obscurius indicat Scriptura Sacra , Traditio dissertè demonstrat.

III. B. Petrus Romae martyrium , atque ab anno secundo Claudi

di

dii Imperatoris ad mortem usque Romanam rexit Ecclesiam.

IV. S. Petro in administratione Romanae, & Universalis Ecclesiae proximè successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens.

Linus, Cletus, Clemens.

V. Testimonium, quod de Christo perhibuit Flavius Josephus lib. XVIII. Antiquitatum, genuinum est, non supposititium, atque incertum.

Flavius Josephus.

VI. Canonum Apostolicorum incertus mihi numerus: eorum aliquos primis Ecclesiae saeculis obtinuisse, extra omnem disputationis aleam est positum: Apostolis autem sunt suppositi, & pseudepigraphi.

Canones Apostolorum.

VII. Constitutiones Apostolorum sunt apocriphae, ab Apostolorum, & Ecclesiae doctrina alienae: ipsis adeò Apostolis, & Clementi Romano suppositae. Propositionem hanc latè prosequitur Natalis Alexander in Historia primi saeculi Dis. XIX. Hinc non satis miror scriptorem quemdam, aliunde oculatissimum asseruisse, Natalem de hujusmodi Constitutionibus ibidem siluisse.

Constitutiones Apostolorum.

VIII. Decretales veterum ante Siricium Epistolae ab Isidoro collectae sunt interpolatae, & magna ex parte suppositae; non tamen rejiciendae tanquam apostolicae doctrinae, fideique adversantes.

Veterum decretales.

IX. Septem Epistolae S. Ignatio ascriptae, nimirum ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnaeos, & ad Polycarpum, ab Usserio ex vetustissimis codicibus Anglicanis, dein ab Is. Vossio, & Florentino restitutae, purum sunt ac genuinum S. Martyris Opus.

Secundum saeculum. S. Ignatius.

X. In Epistolis Ignatii Verbi divinitas traditur apertissimè: quae autem in contrarium Sandius adducit, aranea poenitus argumenta sunt.

XI. S. Justinus Martyr praeclarissimus, tum in apologia pro christianis, tum in dialogo cum Triphone, divinitatem Verbi aeterni & affirmavit, & credit.

S. Justinus.

XII. S. Martyr Irenaeus Lugdunensium Episcopus divinarum personarum distinctionem, & Verbi cum Patre aequalitatem dissertissimè propugnavit.

S. Irenaeus.

XIII. Nonnulli Melitonem Asianum Sardensem Episcopum Anthropomorphitis annumerant, re tamen accuratè perpensa queit facile ab errore excusari.

Melito Asianus.

XIV. Clemens Alexandrinus injuste Arianismi insimulatur; non itaque video, cur Clericus tot quærelas ingeminet in Pontificios Scriptores, qui Clementem, aliosque Patres vindicant omni laude, atque veneratione dignissimos.

Clemens Alex.

XV. Athenagoras acerrimi ingenii vir in apologia pro Christianis, in qua trium flagitiorum de Religione Romana dispellit rumorem, scilicet; Atheismi, coenae Thyestaeae, & OEdipoi, nec Arianis favet, nec Sabelianis.

Athenagoras.

Tra-

Trajani liberatio ab inferis.

XVI. Trajani Imperatoris ab inferis liberatio S. Gregorii precibus commentitia prorsus est, sicque à quibusdam tanquam putida fabella merito irrisa.

Saeculum III. Tertullianus.

XVII. Tertullianus, etsi Anthropomorphitarum errori proximus videatur, potest ab illo tamen purgari, aut saltem eum retractasse non est inverisimile.

XVIII. Scriptorem hunc nobilitate, ac litterarum splendore clarissimum Verbi divinitatem non improbasse, ejusque contra Praxeam librum à labe Ariana immunem esse mihi facile persuadeo.

Origenes.

XIX. Origenem vere adamantium à nota Arianismi haud expiare conabor, qui sciam difficillimum esse AETiopem dealbare.

XX. Erronea est animarum praeexistentia, quam finxit Origenes, & commentitium meritum praedestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora.

XXI. Tenuit item Origenes de divina gratia pravam haereticamque doctrinam, quâ Pelagianorum haeresi viam aperuit.

Dionysius Alexandrinus.

XXII. Suppar Origeni Dionysius Alexandrinus immerito dicitur Ariana dogmata praeformasse, Anomeorumque impietati semina praebuisse.

S. Cyprianus.

XXIII. S. Cyprianus lapsis omnibus post actam poenitentiam indulgens veniam recte se gessit, nec pristinam Ecclesiae disciplinam violavit.

XXIV. Neque B. Cyprianus, neque Africanum Concilium lapsis, & sacrificatis poenitentiam agentibus negarunt in exitu vitae reconciliationem & pacem.

XXV. Nullus in lapsis recipiendis pro disciplinae aequitate magis pugnavit, quàm Beatissimus Cyprianus.

XXVI. Igitur non est quod meritò Cyprianum reprehendas, licèt exacta jam poenitentia pacem daret: nam & id aliorum praxi & consuetudine comprobatur.

XXVII. Nec nisi perperam Arianismi insimulatur vir hic sanctissimus: Verbi etenim divinitatem dissertissimè docet.

Anabaptismus.

XXVIII. Celebris fuit tertio Ecclesiae saeculo de Anabaptismo controversia. Principio quidem fuit solemne pluribus haereticis baptismum iterare.

XXIX. Pariter haereticos à Catholicis rebaptizandos, nonnulli veterum tradiderunt: hos inter secundo desinente saeculo Agrippinus Carthaginensis Episcopus, ejusque gentilitius Tertullianus.

XXX. Id itidem tertio labente saeculo propugnarunt Firmilianus Caesare in Capadocia Episcopus, & Cyprianus Episcopus Carthaginensis.

XXXI. Obstitit iis zelo verè apostolico Stephanus Romanae Sedis Episcopus. Hic suo decreto non omnium promiscuè haereticorum baptismum probavit, sed illud dumtaxat, quod verbis Evangelicis est consecratum.

Nec

XXXII. Nec ob rebaptizantium errorem SS. Pontifex Cyprianum, aut Firmilianum à communione dimovit.

XXXIII. Num vero hi à propria recesserint sententia, incertum mihi omnino. Plura tamen sunt, quae illorum, praesertim Cypriani excusant erratum.

XXXIV. Ex quo B. Cyprianus decreto Stephani obluctatus sit, levia nimis, vitreaque sumuntur argumenta ad labefactandum Romanorum Pontificum in rebus fidei, & morum iudicium irreformabile.

XXXV. Nonnulli sunt praeterea PP. quorum de rebaptismo sententia obscura admodum est, & ambigua.

XXXVI. Concilium plenarium, cujus auctoritate, asserit Augustinus, finitam fuisse unius baptismatis controversiam, videtur esse Nicaenum: tamen non istud tantum innuere voluit Praesul sapientissimus.

XXXVII. Non modò Nicaeno canone, sed & aliis Ecclesiae oraculis bene multis, probatum fuit baptisma SS. Trinitatis invocatione collatum: imò & Augustorum legibus proscriptus rebaptismus.

XXXVIII. Ad Synodum magnam Nicaenam pervenimus inter Concilia OEcumenica, & tempore & dignitate principem, celebrata fuit Nicaeae Bithyniae Metropoleos, anno Constant. Imp. XX. Sylvestri Pap. XII. Aerae Dionysianae, & communis CCC.XXV.

XXXIX. Quid vero asserendum de Hermia Sozomeno, qui Nicaenam Synodum sub Julio Romano Pont. coactam effutiit? Scriptorem hunc non una ratione refellam.

XL. Ast quâ in parte urbis celebrata fuit magna Synodus? Placet in opinionum discrepantia mediam inire viam, & in Regia aula discussiones & colloquia, in Templo autem definitiones & canones promulgatos asserere.

XLI. Triplex fuit causa hujus Concilii celebrandi, scilicet: vetus de celebrandi Paschatis die controversia: nefarium Meletii schisma; atque pestilentissima Arianorum haeresis.

XLII. Constantinus Magnus hanc venerandam Synodum convocavit, non inscio Rom. Pont. sed ejus accedente consensu, & auctoritate.

XLIII. Interfuere Synodo CCC.XVIII. PP. è quibus multi sanctitate, & tormentorum recentibus vestigiis conspicui visi sunt. Horum agmen ducit Osius Cordubensis, qui unà cum Vito, & Vincentio Rom. Ecclesiae Presbyteris Pontificis nomine Concilio praefuit.

XLIV. Hujus Synodi temporibus insonari coepit obscurum antea, & fere inusitatum vocabulum *Omousion*. Recte illud sapienterque receperunt Nicaeni Patres ad propugnandam fidem orthodoxam, Symbolo inseruerunt, & consecrarunt. Quae huic propositioni objiciunt Arianis, thecnae sunt, machinae, cavillationes.

XLV. Providè quoque catholicorum plures in voce *Omojousion*,
Z quae

IV. Christiani nominis saeculum. Synodus Nicaena I.

Contra Arianos.

quae interjecta una tantum litterula discrepat à praecedenti fraudem Arianorum subodorantes, illam penitus rejecerunt.

XLVI. Haeresi Arianorum damnata finita Paschatis controversia, compresso schismate Meletiano, editis opportunis regulis, quas canones adpellamus, Magna OEcumenica, atque caeterarum universalium princeps Nicaena Synodus à S. Sylvestro Rom. Pont. confirmata fuit. Constantinus quoque ejus decreta sigillo suo communivit.

Constantinus M.

XLVII. Quando autem in Cl. Sanctissimique Imperatoris Constantini mentionem incidi aegrè ab hoc loco divellar, ni exuflem prius vulgatam illam apud levem credulumque popellum historiolum, quâ fertur eundem Imp. lepra, vel, ut ajunt, morbo Elephantico infectum fuisse, à quo suscepto baptismate fuit mundatus, purgatusque.

XLVIII. Flavius Constantinus Imp. A. non Romae anno Christi CCC.XXIV. Sylvestri XI. Const. ejusdem XIX. sed Nicomediae an. CCC.XXXVII. Julii I. Imperii ejusdem postremo, sacris undis ablutus est, & regeneratus.

XLIX. Franciscus Blanchinius viam facilem conciliandi per vulgatam opinionem de baptismo Const. Romae suscepto cum Eusebio Caesariensi, sibi invenisse visus est. Verum Blanchinium, quem aliunde plurimi facio hac in re hallucinatum existimo.

Tiberius Pontifex.

L. Liberius Pont. gloriosus Cath. Fidei athleta, Athanasii defensor invictus, Imperatoris Constantii reprehensor liberrimus, tandem taedio affectus, maceratus inedia, tentatus verberibus, Sirmiensi Arianorum formulae, & Athanasii damnationi inique subscripsit. Ergone in Arianorum numero computabitur? Absit. Nec enim secundae Sirmiensi formulae, sed primae, quae contra Photinum edita fuerat, subscripsit.

Concilium Ariminense.

LI. Ariminensis Concilii Patres, etsi à culpa minimè sint excusabiles; Arianæ tamen haereseos labe nusquam fuere foedati.

Osius.

LII. Quàm est odiosa Constantii inhumanitas! Osius illum Cordubensem Episcopum re, nomineque Sanctum tempore Dioclesianæ persecutionis acceptis plagis, & vibicibus pro fidei professione aspectabilem, Conciliorum Patrem, Hispanæ gentis eximium & immortale decus, jam senio penè confectum, carceribus maceratum, verberibus indignissimè caesum ad nefariam subscriptionem adegit impiissimus Imperator. Cessit (proh dolor!) Osius Arianis: ast (quod superis gratulandum) resipuit, ac in haeresi, & impietate non obiit.

Felix.

LIII. Felix Rom. Ecclesiae Diaconus in Romanam Sedem Liberii exulis loco intrusus, Romanae Ecclesiae verus Episcopus nusquam audit: ergo nec legitimus Pontifex fuit.

LIV. Quandiu Constantinus magnus vixit, nemo apertè fidem Concilii Nicaeni violare ausus est. Ipso autem mortuo, in fidem ejus-

ejusque professores mirum in modum debachati sunt haeretici pestilentissimi. S. Athanasius Arianorum persecutionibus diu multumque jactatus Romam se contulit innocentiae suae patrocinium à Julio Rom. Pontifice quaesiturus. Julius Synodo in urbe habita Athanasii, aliorumque innocentiam probavit, & irritas habuit Orientalium sententias in eos latas Rom. Pont. inconsulto.

LV. Synodo orientales acquiescere detrectarunt, quamobrem ab eodem Pontifice, & duobus Imperatoribus Constante, & Constantio Concilium Sardicae congregatum est an. CCC.XLVII. Praesidebat nomine Pontificis Osius Cordubensis tanquam patronus & director: ab eo proponebantur singula in Concilio decernenda, & primus omnium subscripsit.

*Concilium
Sardicense.*

LVI. Numerus Episcoporum, qui sacro illi coetui interfuerunt incertus est; plusquam trecenti tamen numerantur.

LVII. Concilium illud OEcumenicum fuit. In eo causa Athanasii, aliorumque examinata, ab iniqua damnatione sunt absoluti. Nulla de fide quaestio in eo habita est, nulla professio, aut formula fidei de novo edita, sed solum fides Nicaena confirmata. Quare inter Concilia Generalia non tenet locum à Nicaeno distinctum, atque ejus canones tanquam Nicaeni citantur, saltem in Ecclesia Romana.

LVIII. Crederes? Vel ipsum Athanasium Arianorum debellatorem, ac fidei causa atrocissimas persecutionum procellas imperterriti animo perpessum, tanquam de Verbo malè sentientem traducit Wolzogenius. Ita se gerunt insigniter allucinati, hostes hostibus, victosque victoribus permiscentes.

S. Athanasius.

LIX. Symbolum dictum Athanasii genuinum ejus esse foetum, nulla demonstrant argumenta, id tamen probabile esse, non inficior.

LX. Post Synodum Nicaenam, ex una quamquam proscripta Ariana haeresi, plures, uti de reciso Hydrae capite, germinarunt. E parte Semi-Arianorum stabat Macedonius Constantinopolitanus. Hic dogmatizans Spiritum Sanctum esse creaturam singularem vulgavit blasphemiam quae tandem à Conc. II. OEcum. profligata est.

*Concilium
Constantinop. I.*

LXI. Celebratum fuit hujusmodi Concilium II. Damasi Papae auctoritate, & Theodosii senioris consensu an. Chr. CCC.LXXXI. Ast quò Concilium dicas OEcumenicum, cui nec Pontifex, nec ejusdem Legati praefuere? Nodus hic est, quem dissolvam.

LXII. Sanctus Hilarius Pictaviensis tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Mariae carne susceptum, nec in eo indolentiam adseruit.

S. Hilarius.

LXIII. Basilius Capadox, Episcopus Caesareae, tam saecularium, quam sacrarum litterarum celebritate, disciplinae studio, rectaque vivendi ratione vere Magnus, Filii Divinitatem nunquam prodidit; nulla proinde ejus calumniatoribus fides adhibenda.

S. Basilius.

San-

S. Epiphanius.

LXIV. Sanctus Epiphanius minimè Deum corporeum existimavit, ergo ab Anthropomorphitarum errore quamlongissimè abfuit.

Eusebius Caesariensis

LXV. Si Eusebii Caesariensis cognomento Pamphili ita Orthodoxiam, sicut eruditionem possemus in tuto locare, ipsius abs dubio fides non penderet in ambiguo, plerisque damnantibus, absolventibus aliis.

B. Ambrosius.

LXVI. Ambrosius (O ambrosia dulcius nomen !) Sanctissimus Mediolanensium Antistes Catholico dogmati de animarum Beatitudine haudquaquam adversarius ostenditur.

B. Chrysostomus.

LXVII. Chrysostomus solam comprehensionem Dei, non ejus visionem possibilem esse negavit. Non igitur audiatur Vasquesius, quem non puduit erroris dicam, quam ab Anomaeis pessimis hominibus abolere conabatur, eloquentissimo Praesuli inurere.

Quintum Christianum saeculum.

LXVIII. Antistes hic sapientissimus, qui caeteros eloquentia, scriptorumque copia, & delectu superavit, Semipelagianismum praefocavit potius, quam docuit.

Haeresis Pelagiana.

LXIX. Si ulla unquam haeresis fuit, quae omnium fermè indignationem subierit, crebrisque anathematismis, & velicationibus fuerit exagitata, ea profectò est Pelagiana. Animadvertere in illam Pontifices, & Concilia auctoritate, Patres lucubrationibus, & vel ipsis decretis Augusti. Nomen haec accepit à Pelagio, qui machinationibus, hypocrisi, doemonum, hominumque falacia errores suos longè latèque disseminavit.

LXX. Ut ut sit de haeresis hujus principio, imbutum Coelestium, & Pelagium à Rufino, non utique Palestino, aut Syro, ut Garnerio placuit, sed Aquilesensi, incunctanter, pronuntio.

LXXI. Theodorus Mopsuestenus Rufini Praeceptor, alter fuit Pelagianorum Prodromus. (De Origene alibi diximus.)

Status pelagiani erroris.

LXXII. Hujus autem haereseos tres à nobis statuuntur status. In primo Pelagius nullum prorsus interioris gratiae adjutorium agnovit; admisit tamen necessitatem legis, sive naturalis singulorum hominum cordi inscriptae, sive per revelationem traditae, quam Deus iis proponere teneretur, qui legi naturae per Liberi Arbitrii facultatem obtemperarent.

LXXIII. In secundo statu ad legem atque doctrinam gratiam addidit internae illuminationis. Sed incertum est, num ad facilius, an ad simpliciter operandum necessariam judicaverit.

LXXIV. Admiserunt quoque Pelagiani gratiam possibilitatis; in quo autem eam locaverint, obscurum nimis.

LXXV. In eorum descendo opinionem, qui tenent, Pelagianos tandem variis Catholicorum argumentis, & Ecclesiae condemnationibus agitados, gratiam admisisse operis, & voluntatis; quam tamen suis interpretamentis, & cavillationibus turpiter deformarunt. In hocque tertium Pelagianae haeresis figo statum.

Quar-

LXXVI. Quartum verò in quo veram Pelagiani agnoverunt gratiam cum arbitrii indifferentia consistentem, tanquam commentum Jansenianum reicimus; indifferentia nam qua liberi arbitrii, nisi ita accipiatur, ut inspecta sola naturali facultate bonum & malum possit ex aequo, Catholicorum est dogma, non Pelagii blasphemia.

LXXVII. Habitualement gratiam agnovit Pelagius, quamquam non eo, quo par erat, sensu admittenda.

LXXVIII. Doctorum, qui Pelagianam haeresim exagitarunt, agmen ducit Clarissimus Bethlehemitici specus incola S. Hieronymus. In hujus SS. Doct. mentionem cum incidi, aegrè calamum agam, quin ei ab Stanislao Pannonio Anabaptista expungam intentatam calumniam, qua S. Doctorem affirmasse adserit, fidelium & Christianorum animas ab inferni cruciatibus aliquando fore liberandas.

B. Hieronymus.

LXXIX. Non multum abludit Vasquez, dum Doc. praestantissimum visionem divinitatis in se impossibilem judicasse statuminat.

LXXX. Hieronymum secutus est magnus fidei praeco, gratiaeque vindex Augustinus, hujus Ecclesiae Doc. doctrinam mirum quanti faciant Pontifices, Concilia, Patres, Theologi. Hinc homunculorum quorundam sese prodit mira oscitantia, qui splendidissimum Latinae Ecclesiae Lumen atro dente mordere non dubitarunt, ac si corvis datum esset, propè Jovem crocitare. Hos inter Joannes Adamus coctam olim à Pelagianis crambem recoxit, in libro, cui titulus: *Calvin deffait &c.* in quo Augustini doctrinam de praedestinatione, & gratia, quam sapientissimi quique ad sydera usque extulère, tanquam difficillimam, obscuram, intricatam, inconstantem, variam, utraque veritatis lineas excurrentem, deprimere tentavit.

S. Augustini Vindictae.

LXXXI. Graviorem alteram injuriam idem Scriptor Augustino infert dum eum veluti multiformem, in sentiendo Protheum inducit, modò affirmantem, modò negantem, modò album, modò nigrum, tot in eadem scena cothurnos subinde mutantem, ut praegrande satis volumen ex antilogiis possit consarcinari.

LXXXII. Temperare me jam diu non possum, quo minus cum Norisio quosdam coarguam scriptantes *S. Augustinum abreptum aestu disputationis adversus Pelagianos excessisse lineas necessariae veritatis, atque medium, in quo veritas sedet transgredi jubere.*

LXXXIII. Ludunt operam Augustini censores, dum S. Thomae, ac Bonaventurae patrociniò jactantur. Doctiores, quippè sunt Scholarum principes observantioresque tanti Magistri discipuli, uti ab ejus placitis vel latum tantum unguem ultro discederent.

LXXXIV. Errat Moraines contendens Augustinum ad extrema declinasse, asserendo concupiscentiam rationi contrariam esse malam, & defectum naturae ex peccato originali ortum, neutiquam

vero bonum naturale illius. Nec sententiam hanc , quasi aliud agens, sed totis viribus , & consultò propugnat SS. Doctor.

LXXXV. Falso quidam , atque temerè dixerunt *S. Augustinum in (praedestinationis) materia cum excessu locutum esse , verbaque ipsius esse mitiganda , ne ab illorum acrimonia in errorem contrarium propellamur : licitum proinde aliquod catholicum temperamentum inquirere.*

LXXXVI. Eundem S. Praesulem ad praecipitia deflexisse lib. de bono conjug. cap. 6. haec scribentem : *Conjugalis concubitus concupiscentiae satiandae gratia , tamen cum conjuge , venialem habet culpam : credit certò , sed indoctè , ac erroneè quidam ; ea enim est Ecclesiae , ac Patrum doctrina.*

LXXXVII. Non adseruit Augustinus animam hominis corpoream, uti quidam fuere mentiti.

LXXXVIII. Supinam , qua laborant , totius antiquitatis ignorantiam patefaciunt , qui erroris arguunt Augustinum , quod in quaestione obscurissima de animarum origine , dubius & anceps extiterit.

LXXXIX. Clament ergo iidem ipsi à S. Aug. malè exponi illud Apostoli Rom. 14. 23. omne , quod non est ex fide , peccatum est. Illos ne audies ? Atque eorum ignorantiam meritò castigat Norrisius.

XC. Non dubitavit August. Sacramenta per jocum , & irrisoriè collata valida non esse. Mentitur quoque Kemmitius SS. Doctorem suum esse inquiring , dum pro valore Sacramenti decertavit.

XCI. Negasse Augustinum Antipodas , non ibo inficias. Sed ideonè eidem erroris dica scribenda ? Contendit plebejus quidam de faece saburrae , atque in antiquorum lectione planè hospes. Verùm potiori ille jure Antipodas sustulit , quàm alii astruxere.

XCII. Audaciae potius & fidentiae vitio , quàm doctrinae laude notari debent , qui maledico dente carpunt Augustinianam de simultanea rerum creatione sententiam.

XCIII. Originale peccatum causam reprobationis omnium damnatorum dicit Augustinus. Hanc opinionem horret quidam , uti matrem Calvinianae haereseos : at ea nobis non horroris , sed consilii , sapientiaeque plena apparet.

XCIV. Temerè reprehenditur Augustini sententia de injustè aggressoris occisione , ex subtilioris philosophiae principiis deducta generosiori , suique aestimatore animo digna.

XCV. Aliquando fuisse Augustinum libero hominis arbitrio minus aequum , rancida est Pelagianorum & Semipelagianorum calumnia. Hanc quanta veritate à se propulsaverit SS. Praesul , eos solum nescire , arbitror , qui ejus libros nec à limine salutarunt.

XCVI. Somniavit proculdubio , qui garriit S. Aug. contra Arium disputantem ad Sabellium , & contra Sabellium ad Arium declinasse.

Ad-

XCVII. Adversus nonnullos contendo, Doctorem eundem praestantissimum firmissimè, constanterque Deum carnis oculo invisibilem tradidisse.

XCVIII. Dubitavit S. D. de secretis Receptaculis Animarum, idque summum est sui ingenii testimonium. Verumtamen de praesenti illarum gloria & felicitate non ambigit.

XCIX. Inverecundè Augustini textibus abutuntur heterodoxi, totum suum esse polluto ore clamantes, dum binarium Sacramentorum numerum astruere nituntur.

C. Animadversiones illae, quas in Augustini libros contra Faustum Joannes Clericus sub Phereponi larva concinnavit, fusam istius in tantum Praesulem malevolentiam manifestant, praeterea nihil.

CI. Frustra laborant, qui quod est eorum acumen, ex ea Coelestini Epistola, unde ab aliis, vel supra Sydera Augustiniana auctoritas evehi solet, eandem deprimere conantur.

CII. Gratiarum hymnum *Te Deum laudamus* S. S. Ambrosio, & Augustino, haud levibus momentis permotus ascribo.

CIII. Traductos fuisse à Semipelagianis odioso Praedestinatarum nomine cultores Augustinianae Doctrinae, & hos sub corio fictitiae haereseos immerito vapulasse, tradunt viri propemodum infiniti. Verum ~~ut~~ obtrectatorum cœrceam praecipitem loquentiam assero; nullam fuisse in Monasterio Adrumentis, Augustino superstite, haeresim Praedestinarianam.

*Haeresis
Praedesti-
nariana.*

CIV. Neque in Galliis sub Coelestino I. erupit haeresis haec. Tamen habuisset se sic res: ? ullum ne inde doctrinae M. P. illatum praejudicium? Insaniae, insaniae!

CV. Quoad Semi-Pelagianos adinet, numquam praedixerunt ii ut necessariam ad fidei initium praevenientem gratiam interiorem, indifferentem, & reapse collatam voluntati. Inter eos vero ii saltem, qui fidei initium in unico gratiae consensu reponebant, ad actus absolutos formatosque cooperantem gratiam admisere, quae ut oblata anteverteret omnem voluntatis consensum, sequeretur autem ut collata.

*De Semipe-
lagianis.*

CVI. Quare si libeat in hisce diutius immorari, duas tibi ex horum debellatore S. Prospero Aquitano Semipelagianorum sectas proponam non quales Jansenius falso distinxit, seu finxit imo potius.

CVII. Nestoriana lues successit Pelagianae, quae tamen in eodem fuit utero procreata. Nomen haec à Nestorio accepit, qui ex Monacho in Clerum Antiochenum cooptatus, hinc renunciatus Constantinop. Episcopus, coepit circa annum 427. praeconceptae haereseos virus evomere. Istud Nestorii capitale dogma: geminas Christo Domino Personas affingere, & SS. *Deiparam* gloriosa hac spoliare nomenclatura. Haec vere docuit: ergo ipsum excusset, qui
AETIO-

*Haeresis
Nestoriana.*

AETiopem se posse dealbare praesumat.

CVIII. Irruerunt in Nestorium Viri doctrina, & pietate praeclari, quorum facile princeps Cyrillus Alexandrinus. Hortatur Coelestinus Pontifex per litteras Nestorium ad resipiscentiam, & palinodiam alioqui vaticana fulmina minitatur. Furit in dies Nestorius, ac spre- tis Coelestini litteris eadem, ac deteriora dogmata palam evomuit: etiam S. Cyrillum, qui in ipsum duodecim urserat anathematis- mos totidem tamquam Apollinaristam, Arianumve impetivit.

CIX. Nestorium à sui communione segregarunt probi fideique servatores, quos in dies Haereticus homo furens, Urbis Praefec- to tradidit immani crudelitate caedendos. Ad Synodum OEcumeni- cam provocavit: & coacta Ephesina Gen. III. anno D. CD. XXXI. non comparuit; ac privatus infulis Ecclesiasticis exul, ac profu- gus, dum in blasphemias erumperet, impiissimam efflavit animam.

*Joannes
Antioche-
nus.*

CX. Nestorii causam suscepit Joannes Antiochenus. Is sero, diuque spectatus venit Ephesum: rejecit damnationem Nestorii fac- tam à Synodo: Cyrilli capitula tamquam haeretica proscripsit, aliaque patrat, quae strenuum exposcunt Apologistam. ? Haere- sis ergo damnandus? Aliter res se habet: Joannes etenim, & Orientales, qui in Orthodoxos animadverserunt, neque Nestorianam, neque Pelagianam haeresim probavere.

*Concilium
Ephesinum.*

CXI. Concilium Ephesinum à Theodosio juniore convocatum fuit auctoritate tamen Coelestini I. Rom. Pont. Habitum est in ur- be Asiae minoris Epheso, sita in ora littorali maris Egaei, & Si- nus Joni, disponente Numine, ut in AEdē Virginis, quae ibi est ad stuporem usque magnifica, qui illam *Theotocon* negabant ana- thema subirent.

CXII. Concilio huic sub ejus initium praefuit S. Cyrillus Pontifi- cis nomine, & auctoritate: idemque munus obivit advenientibus Arcadio, Projecto, & Philippo.

S. Cyrillus.

CXIII. Beatissimus Cyrillus Alexandrinus injuria haeresis Apolli- narii insimulatus est. Neque nostra indiget, si quam pro se ipse- met edidit, consulatur apologia.

*Theodore-
tus.*

CXIV. Illorum qui adversabantur Cyrillo, hujusque Anathema- tismos oppugnabant, nomine ac doctrina celebrior fuit Episcopus Cyri Theodoretus, qui licet ob patrocinium Nestorianis praestitum in gravissimam de Fide suspicionem venerit, tandem (quidquid senserit olim) Orthodoxam fidem professus est.

*Eutichiana
haeresis.*

CXV. Coeva fere Nestorianae, atque è diametro opposita est haeresis Eutychetis amplissimi Monasterii Archimandritae. Arbitra- tus nempe est senex imperitus, duas in Christo naturas absque Personis duabus haud posse consistere: adeoque dum Nestorium declinare cupit, horrendum de una Christi natura dogma sparge- re aggressus est.

Mi-

CXVI. Mirum quot turbas , quantosque haec haeresis in Oriente excitavit tumultus : Qua damnatur à S. Flaviano in Syn. Constantinopol. à se coacta : qua adprobatur in *Praedatoria Ephesina*, ubi divina , humanaque jura fuere pessundata. Haec causa , ut indiceretur Syn. OEcumenica Chalcedonensis Gen. IV.

*Synod.
Chalcedo-
nensis.*

CXVII. Habita est an. CD.LI. sub Leone I. sanctitate , & sapientia vere Magno , atque Imperatore Gratiano , magna illa , ac venerabili concione PP. Eutychem damnante , & rursus Nestorium proscribente.

CXVIII. Ad hunc , ejusque haeresim proscribendam merito coactus est Theodoretus ut à labe , & erroris suspicione se plene purgaret.

CXIX. Concilium Chalcedonense auctoritate S. Leonis Roman. Pont. convocatum fuit. Illi praeferunt Leonis Legati Paschasius Lylibaetanus , Lucentius Asculanus Episcopi , & Bonifacius Presbyter , quibus adjunxit Pontifex Julianum Cöensem , saltem ut consiliorum participem.

CXX. In amplissimam impigimus atque gravem de *tribus capitulis* controversiam : sunt autem haec Theodoreti scripta contra XII. Cyrilli anathematismos : Ibae Edesseni Antistitis Epistola ad Marim Persam , atque impia Theodori Mopsuesteni , quem nactus est olim Nestorius Magistrum , scripta quae *Judaicae Nugae* , ac *maledicta* adpellantur.

*Saeculum
Sextum.*

*Tria Capi-
tula.*

CXXI. Tria haec capitula jure meritoque à V. Gen. Syn. tanquam Nestoriana fuere proscripita.

CXXII. Synodus quidem V. Gen. habita est an. Domini D.LIII. Fuit haec Constantinop. II. ab Imperatore Justiniano convocata annuente Vigilio qui Concilio ob parvum numerum Episcoporum Occidentalium minime interfuit.

*Synod. Con-
stantinop.
II.*

CXXIII. Sane rem è superficie investiganti plura occurrent , quae Vigilium virum levem , & vento agitatam arundinem insinuare videntur : in alia tamen omnia ego , ratus Pontificem , neque à se ipso umquam dissensisse in dogmate , atque ipsius in speciem pugnantia facta prudentissimam aconomiam praeseferre.

*Vigilius
Pontifex.*

CXXIV. Extra erroris periculum pronuntiare quis potest : *Unus è Trinitate passus est : Crucifixus est una SS. Trinitatis Persona.*

CXXV. Fuerunt quondam ejusmodi enuntiationes in ore Scithiae Monachorum , quos in etsi juste animadverserit Hormisdas , ipsos tamen Eutychniana fuligine tinctos constanter nego , tumultuose , ac turbulente se gessisse , id est nempe quod fateor.

*Scithiae
Monachi.*

CXXVI. ? Ecquis vero horum Monachorum defensores cum Jansenianis comparari aequo animo ferat ? Ego quidem Philippum Labbeum quamquam virum veneror eruditissimum , hac comparatione à se ipso degenerem , allucinatamque deprehendo.

Bb

Gras-

*Septimum
Saeculum.*

*Haeresis
Monotheli-
sarum.*

*Synod. sex-
ta general.*

CXXVII. Grassata est saeculo VII. in Ecclesia Orientali haeresis Monothelitarum Eutythianae surculus, & appendix. Hi sunt, qui duplici Christi natura non rejecta unam tantum voluntatem, unamque operationem constituere moliti sunt. Abeat ergo Vasquesius, qui haereticos Monothelitas ab hoc errore purgare satagens D. Thomam, caeterosque Cl. Scholae viros, haeresis hujus veluti ignaros traducere non erubuit, cum ipsum error hic adeo longissime fugerit, ut *Typum*, Constantis Imperatoris decretum, haereticum quendam Pauli Constantinop. Discipulum fecerit.

CXXVIII. Diversas plerosque per annos fortunas subiit Monothelismus donec sextae Gen. Syn. auctoritate alas demum sistere coactus est. Convocata haec fuit, Agatonis Papae consensu, ab Imperatore Constantino Pogonato an. Christi DC.LXXX. coeptaque Constantinopoli intra Imperatoris Palatii Secretarium, ut vocant, Trullus dictum.

CXXIX. Interfuit omnibus fere actionibus piissimus Imperator, non ut judicem, sed ut defensorem ageret.

CXXX. Interfuere & Sedis Apostolicae Legati, Theodorus, Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus Agathonis munera implentes.

CXXXI. Diem hi cum venerando PP. coetu dixere Monothelismo, qui sub Theodori Pharitani, Cyri Alexandrini, Sergii, Pyrrhi auspiciis nefario ausu sese erexerat, adeo ut Heraclius ipse Imperator illius suscepit patrocinium.

Honorius.

CXXXII. Stetit pro fide intrepidus Sanctissimus Hierosolymorum Patriarcha Sophronius Sergii calumniis apud Honorium Pont. propterea oneratus. Hic haeretici versutissimis litteris nimium tribuens, opportunum ratus est, utrique parti silentium indicere, censuitque abstinendum deinceps à vocabulo unius, vel geminae voluntatis.

CXXXIII. Quid ergo de Honorii fide? Gravem fateor controversiam: Id mihi compertum est, illum in suis ad Sergium Epistolis Monothelismi sensa haud quam probasse. Probaverit: nihil hinc contra Pontificis infallibilitatem. Damnatus fuerit in hac Syn. nulum inde, sive Pontificiae, sive Conciliorum auctoritati inferes praejudicium.

*Saeculum
octavum.*

*De Icono-
clastis.*

CXXXIV. Bellum sacris Imaginibus indixit VIII. vertente saeculo Leo Isauricus, qui de illis abolendis sacrilegum tulit edictum eas è Templis ejecit, Christianos ipsi resistentes crudelissime exilio, mutilatione, incendio exagitavit. Ast ipsum frustra monitum semel, & iterum Pontifices damnarunt.

CXXXV. Leoni successit Constantinus *Copronymus* ejus filius, qui quasi paternam rabiem cum regno haereditasset, & ipse in Imagines furit. Synodum cœgit Constantinop. in qua adversus sacras Imagines conclamatum est. Hanc perperam tamquam VII. OEcumenicam obtrudunt heterodoxi.

Im-

CXXXVI. Imperii gubernacula suscepit Leo Copronymi filius, qui initio Catholicus simulatus, firmato regno larvam deposuit, Imaginesque est insecutus. At brevi finita vita Constantinum reliquit teneris aetatis natum sub pientissimae Matris Irenes tutela, cui cum nihil Religione esset antiquius, una cum Filio OEcumenicam VII. Synodum Nicaenam II. convocavit, Hadriano I. hilariter annuente.

CXXXVII. Inchoata fuit haec Synodus VIII. Cal. Octobris an. DCC.LXXXVII., ipsique per Legatos praefuit Adrianus I. Sum. Pontifex.

*Synod. Ni-
caena II.*

CXXXVIII. Aduerunt Concilio praeter ingentem SS. Monachorum numerum Episcopi supra CCC.L. qui asserto Imaginibus honore, Iconoclastarum impietatem merito anathemate proscripserunt.

CXXXIX. Quidquid haec Synodus decreverat an. DCC.XCIV. confirmavit Consilium Francfordiense CCC. Episcoporum, habitum coram Carolo Magno, sub ejusdem Hadriani Legatis.

CXL. Damnati fuere hujus Concilii can. I. Felix Episcopus Urgelitanus in Hispania, & Elipandus Archiepiscopus Toletanus: propugnauerant enim filiationem adoptivam in Christo sensu Nestoriano.

*Felix, &
Elipandus.*

CXLI. In chartam descendat Photius, homo ille vaferrimus, & caput Graecorum Schismatis tandiu Ecclesiam vexantis, nondumque sopiti. In locum hic S. Ignatii inique antea depositi suffectus est. Ejus ergo abdicatio, & Ignatii restitutio in Sedem Constantinopolitanam causae fuere congregandi Concilii OEcum. VIII. Constantinop. IV.

*Nonum Sae-
culum.*

*Conc. Con-
stantinop.
IV.*

CXLII. Synodum hanc ab Adriano petiit Basilius, idemque convocavit. Ultro Pontifex annuit, & Legatos misit Donatum, Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum.

CXLIII. Habita est an. Christi DCCC.LXIX. Basilio imperante Constantinopoli, & Adriano II. Romae sedente. Propriae Sedi restituit Ignatium atque Photium calamis in sacro Calice intinctis damnavit.

CXLIV. Defuncto Ignatio Photius restitutus est. Indixit is mox aliud Concilium Constantinop. in quo praecedentis acta irritavit, conculcavitque praecepta saluberrima. Aduere quidem huic Concilio Joannis Legati, perperam tamen inde tanquam OEcumenicum laudant Graeci Schismatici.

CXLV. Fuerunt qui Sum. Pontificum catalogum texentes inter Leonem IV. & Benedictum III. locarunt meretriculam Joannam Pappissam. Fabellam hanc Protestantium quidam propugnare pergunt ut hoc ridiculo commento pascant gregales. Verum ipsius narrationis characteres, contradictiones, ac ineptiae, quibus scatent architecti fabellae, ipsam penitus exuflant.

*Papissae fa-
bella.*

CXLVI. Fateor Gothescalcum audiisse tamquam Praedestinatum,

*Gothescal-
cus.*

num , erroresque ei tributos jure fuisse proscriptos : Ipse tamen Praedestinatianus non fuit , licet veram causam , imprudenter susceperit defendendam.

*Saeculum
duodecimū.*

*Synod. Late-
ranen. I.*

CXLVII. Concilium Lateranense I. OEcumenicum IX. celebratum fuit an. M.C.XXIII. , ut acris admodum de investituris Episcoporum , & Abbatiarum finiretur controversia.

CXLVIII. Synodum hanc primam quidem in Occidente celebratam , indixit Calixtus Papa II. illique per se ipsum praefuit.

CXLIX. Henricus IV. Germaniae Imperator in Lateranensi Concilio investituras , electiones , & bona Ecclesiis restituit.

*Conc. Late-
ranense II.*

CL. Schisma à Petro Leonis conflatum , Petrobusianorum , & Arnoldistarum errores , collapsa Ecclesiae disciplina , tres fuerunt cogendi Concilii Lateranensis II. OEcumen. X. rationes.

CLI. Illud congregavit , illique praefuit Innocentius Papa II. an. M.C.XXXIX. Adfuerunt Episcopi circiter mille , quod in nullo praecedentium Conciliorum contigit.

*Conc. Late-
ranen. III.*

CLII. Concilium Lateranense III. quod XI. est OEcumenicum celebratum fuit an. M.C.LXXIX. imperante in Germania Friderico I. , Romae sedente Alexandro Papa III. eique adfuere Episcopi trecenti.

CLIII. Convocavit Alexander laudatum Concilium Lateranense tertium , eique praefuit.

CLIV. Convocationis tres fuere causae : ut schismati deinceps vitando consuleretur : ut occurreretur Waldensium , & Albigen- sium erroribus : ut mores reformarentur.

*S. Bernar-
dus.*

CLV. Ecclesiam doctrina sua irrigavit egregius Clarevallensis Abbas S. Bernardus à stili fluiditate , & dulcedine dictus Mellifluus. Immerito is carpitur à Durando , quasi animarum beatitudinem ad extremum diem reservasset.

Gratianus.

CLVI. Canonum collectionem adornavit saeculo XII. Gratianus: Haec tamen Decreta non aliam habent auctoritatem , quam fontium locorumque unde sunt excepta.

CLVII. Supino errore allucinantur haeretici , dum nobis priorem Gratiani commentarii partem objiciunt , quasi ille probabile existimaverit confessionem necessariam non esse ad delendum peccatum.

*Saeculum
XIII.
Synod. Late-
ranen. IV.*

CLVIII. Inter saeculi XIII. Generalia Concilia principem tenet locum Lateranense IV. OEcum. XII. Ab Innocentio III. convocatum , ipsoque praeside habitum fuit in Lateranensi Basilica an. reparatae salutis M. CC. XV.

CLIX. Triplici de causa coactum fuit : Pro recuperatione Terrae Sanctae , haereseon damnatione , & reformatione universalis Ecclesiae. Adfuerunt Episcopi duodecim supra quadrigentos.

*Synod. Lug-
dunen. I.*

CLX. Innocentius Papa IV. indixit Synodum Lugdunensem I. OEcum.

OEcumenicam XIII. eundemque eidem praefuisse certo certius est.

CLXI. Celebratum novimus anno M. CC. XLV. Germaniam moderante Friderico II. regnante in Gallis sanctissimo Rege Ludovico IX. in Hispania nostra beatissimo Ferdinando III. , atque tribus actionibus absolutum.

CLXII. Gregorius X. ad summum Pontificatum evector opera S. Bonaventurae pluribus de causis Consilium iniit Synodum congregandi quarum facile princeps erat Graecorum Schisma.

CLXIII. Habitu est anno M. CC. LXXIV. Lugdunense II. Generale XIV. Praefuit Gregorius X. , adfuitque ingens Episcoporum, Clarissimorumque virorum numerus. Vocatus fuerat Thomas Aquinas immortalis memoriae Doctor , Religionis propugnaculum , atque litterarum ornamentum , qui proh dolor ! dum ad Concilium pergeret lethali morbo correptus in Monasterio Fossae Navae deposuit mortalitatis exuvias.

Conc. Lugdun. II.

CLXIV. Migravit ad sydera Doctor Angelicus , reliquit tamen, quod superis magnopere gratulandum , scripta auro , cedroque dignissima , quibus & gloriam sibi peperit immortalem , & Ecclesiam contra haeresum alluvionem munitissimam reliquit. Haec interscripta eminet tripartita Theologiae Summa ab universa Theologorum caterva S. Thomae adserta , uno dubitante Launojo.

D. Thomas Aquin. apolog.

CLXV. Perperam S. Thomam quidam sugillant , quod liberationem Trajani ab inferis praecibus S. Gregorii tamquam certam , exploratamque habuerit.

CLXVI. Urbani IV. mandato obtemperans Ang. Doctor Corporis Christi Officium , quale inter ejus Opuscula habetur , & in Ecclesia Latina canitur universa , veraciter , & excellenter , subtiliter , & mirabiliter ordinavit.

CLXVII. Unicum est saeculi XIV. Generale Concilium nempe Viennense , Viennae Allobrogum ad Rodanum celebratum. Indictum fuit à Clemente V. anno M. CCC. VII. & habitum ipso praeside an. M. CCC. XI.

XIV. Saeculum.

Conc. Viennense.

CLXVIII. Quatuor de causis celebrata est Synodus OEcumenica XV. ob Templariorum negotium , ob causam fidei variis erroribus lacescitae , ob subsidium Terrae Sanctae , demum ob restorationem Ecclesiasticae Disciplinae.

CLXIX. Tantum abest Joannem XXII. ex cathedra asseruisse, piorum animas ante corporum resurrectionem Deum non videre, ut ne tanquam privatus quidem Doctor id adfirmaverit.

Joannes XXII.

CLXX. Lumen illud inereatum , ac sempiternum in quo Graeci Palamitae jactabant se Deum videre , nullum omnino est , ac fictitium.

CLXXI. Sedem Romanam Avenione reduxit Gregorius XI. quo mortuo inauguratus est Pontifex Urbanus VI. Facti paulo post poe-

nitentes Cardinales nonnulli Robertum Gebennensem Antipapam elegerunt, dictum Clementem VIII. Hinc atrocissimum schisma natum est, quod annis uno & quinquaginta duravit.

*Saeculum
XV.*

*Synod. Pi-
sana.*

CLXXII. Durante schismate, Cardinales, qui utriusque Pontificis Gregorii XII. & Benedicti XIII. jura tuebantur, anno M.CCCC. VIII. Synodum totius orbis Christiani cœgerunt anno sequenti celebrandam.

CLXXIII. Habita est Pisis praesidente Cardinali Pictaviensi Collegii Decano. Uterque Pontifex depositus fuit, & in eorum locum suffectus est Alexander V. Crevit tunc schisma tribus jam de Papatu decertantibus.

CLXXIV. Concilium Pisanum OEcumenicum legitimumque fuisse, non plane constat.

*Concilium
Constantien-
se.*

CLXXV. Joannes XXIII. Alexandri successor anno M.CD. XIV. Concilium indixit Constantiense, idemque praefuit duabus primis sessionibus.

CLXXVI. Dejecit Synodus Joannem Papatui, uti sponderat, cedere detrectantem: deposuit & Gregorium, & Benedictum. Patrum deinde consensu, & plausu Martinus V. renunciatus est Pontifex Summus.

CLXXVII. Praefuit hic posterioribus sessionibus, atque omnia Synodi Decreta in materia Fidei conciliariter facta sessione 45. approbavit, & confirmavit. Quid de sessione quarta, & quinta adserendum? Audies in conflictu.

CLXXVIII. Proscripti fuerunt Wicleffi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga errores iniquissimi. Duo posteriores traditi sunt brachio saeculari, & tandem combusti tanquam in haeresi pertinaces. Nec ideo Fides Salviconductus est violata.

*Synod. Ba-
sileensis.*

CLXXIX. Post Concilium Constantiense aliud fuit Papiæ indictum, indeque Senam translatum. Verum temporis calamitas impulit Martinum V. ut hac Synodo abrupta, indiceret Basileensem anno M.CD.XXXI. celebrandam.

CLXXX. Sublato è vivis Martino, Eugenius ei suffectus ratam habuit Concilii Basileensis indictionem. Illud initio quidem fuit legitimum, cum tamen progressu temporis in apertum Conciliabulum, & Schismaticorum conventum degenerasset, inter OEcumenica locum non obtinet.

*Synod. Fer-
rariensis, &
Florentina.*

CLXXXI. Synodum Basilea Ferrariam transtulit Eugenius. Inchoata haec fuit an. M.CD.XXXVIII. & pestis ergò anno sequenti Florentiam principem Thusiae civitatem transvecta. Unde dicta Florentina, atque inter OEcumenicas verè computata.

CLXXXII. Eugenius ipse & Ferrariensi, & Florentino praefuit Concilio, ad quod, Deo auspice, convenerunt utriusque Ecclesiae
Prae-

Praesules, ipseque Orientis Imperator Joannes Palaeologus cum amplissimo comitatu.

CLXXXIII. In hac ergo Synodo Eugenii sollicitudine, postque acrem disceptationem, sublatus est de medio paries, qui Occidentalem, & Orientalem dividebat Ecclesiam, & pax tandem rediit, atque concordia, cui & Graeci omnes subscribere, uno excepto Marco Ephesino, qui in Graeciam redux quamplurimos ad Schisma instaurandum permovit.

CLXXXIV. Adversus Foedifragos, quorum agmen ducebat Marcus Ephesinus, declaravit Synodus justa de causa fuisse Symbolo appositam particulam *Filioque*; ut hinc videas, quam immerito Graeci Schismatis sui causam violatum Symbolum praetexant.

*Contra
Graecos.*

CLXXXV. De tempore quo talis particula Symbolo addita est, plura apud Historicos incerta penitus; & nondum satis explorata. Id unum compertum obtinuisse apud nostros Hispanos sexto vertere saeculo. Hinc ad Gallos, Germanosque migrasse, non levis est conjectura. A quo praecise tempore Romana, & Universalis Ecclesia probaverit additionem, doceri malo quam temere definire.

CLXXXVI. Concilium Lateranense V. utique Generale coactum fuit à Julio II. ad abolendam Pragmaticam Sanctionem, atque rescindenda Conciliabuli Pisani acta.

CLXXXVII. Inchoatum fuit à Julio Rom. Pont. anno M.DXII. & anno M.DXVII. absolutum à Leone Julii interea defuncti successore.

*XVI. Saeculum.
Con. Lateranen. V.*

CXXXVIII. Concilio usque ad sessionem IV. praefuit ipse Julius, quintae Raphael Cardinalis Episcopus Ostiensis, reliquis, quae numero septem sunt, Leo X.

CLXXXIX. Pervenimus tandem ad Synodum Tridentinam toto orbe terrarum celeberrimam, at praecedentium omnium Generalium coronam. Atque indubium est, eam à Paulo III. an. M.DXLII. fuisse indictam.

Synod. Tridentina.

CXC. Inchoata fuit anno M.DLV. sub eodem Pontifice. Duravit octodecim annis ad annum scilicet, M.D.LXIII. sub tribus Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. bis interruptum, semel occasione pestis Tridenti grassantis, iterum propter ingruentia bella.

CXCI. Viginti quinque sessionibus concluditur Tridentina Synodus, quarum decem priores habitae sunt sub Paulo III. sex sub Julio III. reliquae sub Pio IV. qui omnes tandem petentibus Patribus confirmavit.

CXCII. Uti geminus erat morbus, ita geminum sibi scopum praefixit Concilium nimirum haereses jugulare, & corruptissimos ea tempestate mores ad meliorem frugem redigere.

CXCIII. Nec fructu caruit grande hoc, & tot annorum opus, pleraque fidei orthodoxae dogmata, velut nova donata luce, & gra-

vis-

vissimis definitionibus stabilita fuere : frenata est haeresis , quae prius torrentis instar circumquaque rapiebatur : aliam , eamque splendendam vitae , morumque faciem Clerus induit , ac Populus tantoque Christiana plebs aucta est incremento , ut post prima nascentis Ecclesiae tempora numquam fortasse velox adeo , ac mira morum metamorphosis contigerit.

CXCIV. Si unquam in hoc sanè Concilio se prodidit haereticorum indoles , & malè constans ingenium. Rom. Pontifici parere detrectantes ad Generale continuo provocarunt Concilium. Verum vix celebrari coeperat , cum illud maledico dente corroserunt , eidem prae fracta colla minimè submittentes. Cuncta tamen in eo fuerunt sanctissime observata , quae ad Concilium OEcumenicum possent requiri.

*Lutherus,
Calvinus ,
Anglicanū
Schisma.
Bajus,*

CXCV. Plurima de Luthero , Calvino , Anglicano Schismate & Michaelae Bajo dicerem , ni temporis cartaeque prodigus esse viderer. Verum horum historiam aperiam , cui placuerit. Id nunc propugnandum , Pium. V. re atque dignitate Sanctissimum nonnulla Baji adserta juste damnasse , damnationemque merito confirmasse Gregorium XIII.

CXCVI. Apologistarum ergo Baji subterfugia , nihil solidi crepant: extra omnem enim controversiam positum est , Universitatem Parisiensem an.M.D.LX. XVIII. Michaelis Baji reprobasse assertiones.

CXCVII. Romanorum Pontificum adversus eundem Bajum Constitutiones , nisi temerè audacter , & inverecunde , nemo dixerit subreptitias.

CXCVIII. Ad haec , in Bulla Pii V. ejusque confirmationibus verè , ac propriè propositiones Baji in sensu ab assertoribus intento fuerè proscriptae.

CXCIX. Ergo hujus articulorum damnationi refragari nefas est quocumque se vertant Apologistae.

*Saeculum
XVII.
Jansenius*

CC. Janseniana haeresis à Cornelio Jansenio denominata , fato nescio quo adeo sese erexit saeculo XVII. ut vix nomen retinuerit Bajus. Igitur Jansenius electus Episcopus Iprensis Opus suum inscriptum *Augustinus* extrema manu perpolivit , scriptaque sua Romanae Ecclesiae , & Pont. Max. judicio subjiciens in Ecclesiae communiōne decessit.

CCI. Mirum ! quod morti proximus obedientiae exemplum prae-buit Iprensis , immodicis discipuli laudibus prosequuntur , cum tamen longè absint , ut imitentur. Etenim quinque famosis propositionibus ex libro *Augustinus* (potius contra Augustinum) excerptis , atque ab Innocentio X. damnatis vix crederes , in quot , ne ratam habeant damnationem , spiras sese contorserint. Ergo Jansenistarum latebras tentantes , quam parum miserrima prosint effugia , videamus.

Ad-

- CCII. Adfirmavit igitur Jansenius aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, esse impossibilia: deesse quoque illis gratiam qua possibilia fiant.
- CCIII. Stultum est hujus propositionis patronum adducere Magn. Parentem Augustinum.
- CCIV. Prima haec Jansenii propositio Innocentiana Constitutione *Temeraria, impia, blasphemata, anathemate damnata, & haeretica*, aequissime est declarata.
- CCV. Asseruit Jansenius interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resisti.
- CCVI. S. Augustinus huic Jansenianae thesi apertissime refragatur.
- CCVII. Jure optimo hanc Innoc. *haeticam* declaravit, & uti talem damnavit.
- CCVIII. Protulit Jansenius enunciationem illam haeticam: *Admerendum, & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*
- CCIX. Est haec ab Augustini doctrina disjunctissima maximeque diversa.
- CCX. Merito haec assertio eisdem cum praecedenti censuris est dispuncta, rejecta, proscripta.
- CCXI. In hoc etiam absurdum prolapsus est Jansenius, ut scripserit: *Semipelagianos admisisse praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuisse haeticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere vel obtemperare.*
- CCXII. Qui hanc propositionem M. Augustino asserit, tanto Doctori injurius est.
- CCXIII. Justissimè quoque, uti *falsa, & haeretica* damnata fuit.
- CCXIV. Janseniana est sequens enunciatio: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*
- CCXV. Est ne pariter Augustiniana? Minime gentium.
- CCXVI. Debitis censuris compressa, atque illaesa est, dum tanquam *falsa, temeraria, scandalosa* est damnata; & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, *impia, blasphemata, contumeliosa, divinae pietati derogans, & haeretica.*
- CCXVII. Haec cum ita sint? quo tandem Jansenistae se recipient? scio: nempe judicium Romani Pontificis in definiendis factis dogmaticis errori obnoxium ipsi censent; atque sic buccinant? Quid

vero de his dicas , qui *obsequioso* , ut inquiunt , *silentio* , atque simulatione celebri formulario subscribunt ? Nempe homines perditissimi , qui & haeretici sunt , & gravissimo perjurii crimine sese obstringunt.

*Molinae
doctrina.*

CCXVIII. Saevam , fallacemque fortunam experta est saeculo XVI. Molinae doctrina circa Concordiam libertatis & gratiae. Simul ac haec in lucem prodiit , universum poene litterarium orbem passa est adversarium. Ad Inquisitionem Hispanicam causa delata est , inde ad Sedem Apostolicam pleno utrimque desiderio. Clemens VIII. Ecclesiae tunc Summus Pastor , summorum Theologorum Congregationes ad rem tractandam instituit , mandavitque earum initio , ut assertionum capita ad probatissimam , atque à praedecessoribus suis consecratam S. Augustini doctrinam expenderentur.

CCXIX. Ipse ad proscribenda Moliniana dogmata maximè fuit propensus , ejusque mandato edita à Coronello Censura , cui omnes , uno excepto , subscripsere.

CCXX. Indubitatum quoque est , Paulum V. Pontificatus sui an. II. praecepisse consultoribus , ut damnandas propositiones diligenti studio seligerent , ac delinearent edendae constitutionis specimen. Verissimum tamen est , nullum diploma contra sententiam Molinae fuisse publicatum , quin decreto Pontificis cautum est , ne assertores unius sententiae oppositam aliqua censura proscinderent , reservato , ut aequum erat , Apostolicae Sedis judicio. Atque de hoc satis , tantum enim volui non penitus praeteriri.

XVIII. Saeculum.

Quesnelus.

CCXXI. Magnas excitavit contentiones Paschasius Quesnellus. Anno M. DC. XCIX. prodiit Parisiis opus ejus inscriptum : *Le nouveau Testament en françois avec des reflexions morales sur chaque verset*. In eo Baji , & Jansenii dogmata renovavit , ampliavitque errores ad propositiones CI. à Clemente XI. in celebri Bulla *Unigenitus* prosriptas an. M. DCC. XIII.

CCXXII. Sapienter ergo , provideque Quesnelistarum fregit audaciam Summus Pontifex praefata constitutione , quam ita communi Ecclesiarum calculo probatam novimus , ut nefas sit ab illa ad futurum provocare Concilium.

*Deritibus
sinensibus.*

CCXXIII. Momentosa pariter fuit praeterito , & hoc saeculo de Sinensium ritibus controversia. De ea ut nonnulla dicamus : principio falsissimum est , Ritus omnes à Sacra Congregatione anno M. DC. LVI. prosmicue fuisse adprobatos.

CCXXIV. Edictum Caroli Maigrot rectè providèque superstitiosos cultus eliminavit an. M. DC. XCIII.

CCXXV. Decretum quoque Cardinalis Thomae de Tournon emanatum Pudicherii an. M. DCC. IV. & à Clemente XI. & Benedicto XIII. confirmatum , complures jure meritoque proscripsit.

Cum

CCXXVI. Cum SS. Papa Clemens XI. in Homilia , quam in solemni die Dominicae Resurrectionis an. M.DCC.II. recitavit , haec dixisset : *Hodie forma servi reversa est in formam Dei* , visum est Avito Academico Clementem Eutycheti per omnia consentire. At audax , vanus , ac temerarius homo Clementinam periodum , ponderatam , gravem , ab omnique , vel minimo errore immunem non deprehendens , stupidiorem se prodit lapide molari. Verum novimus hominem ex eorum esse grege , qui Summorum Pontificum decretis rebelles cum sint , ab Ecclesia sunt alieni , vaganturque extores.

Clemens
XI.

Ad hujus ego Matris sinum humilis , & supplex confugio , & Theologicas defero Propositiones , retractaturus si quae protuli minus cautè , & pro ejus fide , atque doctrina lingua , calamo , & sanguine ad mortem usque pugnaturus. Faxit Deus ejus faciem intueri mereamur : cui sit

LAUS , ET PERENNIS GLORIA

ET NUNC ET IN PERPETUUM.

Vidit Dr. D. Raymundus Albornoz,
Vic. Gen.

Dr. D. Salvator Puche,
Stud. Reg. & Rect.

Vt. D. Josephus Emanuel Balaguer,
Cens. Reg.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

